OSTERMANN

57

Ostermann

Programm,

mit welchem zur

öffentlichen Prüfung und Schlussfeierlichkeit

des

Kurfürstlichen Gymnasiums zu Fulda

auf den 30. und 31. März und 1. April 1857

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums
Karl Schwartz.

Inhalt:

Fulda 1857.
Druck von J. L. Uth.

Postquam ante hos decem annos in commentationis de Demetrii Phalerei vita, rebus gestis et scriptorum reliquiis part. I. (Hersfeld. 1847, 64, 4.) Demetrii vitam quidem et res ab eo gestas majore ex parte exsecutus sum,[1]) uno excepto capite de Demetrii in Aegypto commoratione, quod, ne justos commentationis fines excederem, cum ceteris, quae ad Demetrium Phalereum pertinent, in aliud tempus edendum distuleram; hoc demum tempore, quo dissertationis scribendae provinciam mihi evenisse laetor, ad ea, quae adhuc sunt intermissa, studia redire mihi licet. Itaque, disputatione de Demetrii in Aegypto commoratione ad finem perducta, relinquitur, ut, nonnullis de Demetrio oratore praemissis, de scriptis ejus disquiram, ut librorum ejus fragmenta multis veterum scriptorum locis dispersa colligam collectaque secundum librorum indicem a Diogene Laërtio traditum in ordinem quendam redigam.[2])

[1]) Universam rem in duas partes ita diviseram, ut priorem libellum de vita et rebus gestis Demetrii Phalerei ederem, cui, scribendi occasione oblata, alteram commentationis partem, qua fragmenta Demetrii scriptorum continerentur, subjungere mihi in animo erat. Priorem partem novem capitibus ita comprehenderam, ut in primo capite inprimis de genere et anno natali Demetrii agerem, in secundo de ejus institutione, in tertio, quatenus se dedisset reipublicæ quasque partes esset in ea secutus, inprimis tempore belli Lamiaci, in quarto de priore ejus exsilio et quousque reipublicae gerendae particeps fuisset post bellum Lamiacum, in quinto de Demetrii Athenarum procuratione, in sexto, quid existimandum esset de ejus principatu, in septimo de moribus ejus et vita privata, in octavo de altero ejus exsilio et Thebis commoratione, in nono denique de Demetrio in Aegypto versato. —

[2]) Me quidem antevertit in reliquiis scriptorum Demetrii edendis Th. Herwig in commentatione de Demetrii scriptis (Rinteln 1850), sed quum is non justo editoris munere se functum esse, sed quales in scriptoribus invenerit, reliquias adscripsisse ipse fateatur, quum præsertim nonnullas omiserit, quæ non erant omitteudae, eandem rem a me inceptam persequi non dubitavi; quare, disputatione de Demetrii vita et rebus gestis absoluta, in fragmentis, ex veterum scriptorum locis collectis, iis, quae adhuc sunt omissa, additis, in dissertationem meam transcribendis atque disponendis me continere et critica grammaticaque studia in aliud tempus in commentariis edenda differre propositum mihi est.

Cap. IX.

De Demetrii in Aegypto commoratione.

Post Cassandri mortem (Ol. 120, 2.) Demetrius Phalereus Antigonum, cui plerumque nomen est Antipatro, metuens, utpote crudelissimum atque inhumanissimum regem, Thebis relictis, opportuna fugae occasione oblata, in Aegyptum ad Ptolemaeum Lagi, cui postea cognomen inditum est Soteri, se receperat, a quo bene receptus summo in honore et abundantia vivebat.[1]) Optimum quidem hoc sibi refugium elegerat, quum Ptolemaeus Lagi et amicissimus esset Cassandro, quem Demetrii fautorem cognovimus, et praeterea ipse amantissimus litterarum[2]) multosque, qui litteris excellerent, in aulam suam vocaret.[3]) Quo factum est, ut Demetrius Phalereus, quum Thebis minus tutum se esse putaret, ad eum confugeret, quem Cassandro amicum et litterarum fautorem sciebat. Quae cum ita sint, non est mirandum, quod Demetrius a Ptolemaeo et propter summae eruditionis famam et quod Ptolemaeus erat Antigoni et Demetrii Poliorcetae, a quibus Phalereus ex urbe patria fuerat ejectus, inimicus benigne sit exceptus, adeo ut non ipse tantum abundaverit omnibus copiis, sed et amicis Athenas munera miserit luculenta.[4]) Demetrius autem tempore Ptolemaeo maxime opportuno Alexandriam venerat, quippe qui, regum Alexandrinorum primus, firmato jam sibi post bella civilia regno, in eo occupatus esset, ut Aegyptiis novas daret leges, quas ad componendas libentissime utebatur Demetrii opera et consilio, quem virum summae eruditionis et Athenarum civitatem per decem annos bene rexisse et de republica administranda quam plurima scripsisse haud ignoraret. Demetrium autem in Aegypto apud Ptolemaeum regem in rogandis ferendisque legibus primas tenuisse partes, legimus apud Aelianum V. H. III, 17. *καὶ ἐν Αἰγύπτῳ δὲ συνὼν*

[1]) Plutarch. de exsilio p. 601. ita scribit: *οὗτος μὲν (Δημήτριος ὁ Φαληρεύς) ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μετὰ τὴν φυγὴν πρῶτος ὢν τῶν Πτολεμαίου φίλων, οὐ μόνον αὐτὸς ἐν ἀφθόνοις διῆγεν, ἀλλὰ καὶ τοῖς Ἀθηναίοις δωρεὰς ἔπεμπε.* Quod Cicero de fin. V. 19. hoc otium Demetrii in Aegypto viventis dicit calamitosum cf. comment. part. I. p. 63. Nec consentit cum Cicerone Plutarchus l. l. *πατρὶς δὲ γίνεται πᾶσα πόλις εὐθὺς ἀνθρώπῳ χρῆσθαι μεμαθηκότι καὶ ῥίζας ἔχοντι πανταχοῦ ζῆν τε καὶ τρέφεσθαι καὶ παντὶ τόπῳ προσφύεσθαι δυναμένας, οἵας εἶχε Θεμιστοκλῆς, οἵας Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.*

[2]) Ipse historiam scripsit de Alexandri magni expeditionibus, cujus mentionem fecerunt Plinius et Plutarchus, ex qua Arrianus in praef. et al. se sua hausisse fatetur. Qu. Curtius de eodem Ptolemaeo scribit, fuisse eum peritissimum quidem bellatorem, sed pacis tamen artibus quam militiae majorem et clariorem.

[3]) Multos philosophos Graecos ad se invitaverat, ut Stilponem Megarensem, Diodorum Cronum, Stratonem Peripateticum, alios, et magni æstimabat Theophrastum, Demetrii magistrum, quod patet ex Diog: Laërt. in Theophr.

[4]) Plut. l. l.

τῷ Πτολεμαίῳ νομοθεσίας ἦρξε.[1]) **Multum temporis Demetrium illic moratum regem consilio suo adjuvisse, tradit Hermippus apud Diog. Laërt. V. 5. 78.** *κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ κτλ.* **Itaque factum est, quum Ptolemaeus, qui et ipse litterarum amantissimus esset et litterarum humanitate floreret, jam ab Aristotele, ut Strabo[2]) docet, ad id excitatus vel instituto ejus motus, ut Demetrius Phalereus ei suaderet, ut libros de regno ac principatu scriptos compararet et legeret, quippe in quibus illa, quae amici monere non auderent reges, reperirentur.[3])**

Demetrium Phalereum bibliothecae Alexandrinae praefectum fuisse Ptolemaeo Philadelpho regnante, Josephus et scriptores ecclesiae christianae fere omnes memoriae prodiderunt. Josephus quidem in Antiq. judaic. lib. XII. c. 2.[4]) fontibus quidem, ex quibus hauserit, non allatis, tradit, Demetrium Phalereum, regiarum bibliothecarum praefectum, dedisse operam, ut, si fieri posset, omnes totius orbis libros colligeret, coëmens quotquot ubicunque audisset cognitu dignos aut cupiditati regis gratos, cujus praecipuum esset in congerendis codicibus studium. Eundem interrogatum aliquando a rege, quot millia jam comparasset, dixisse, se in praesentiarum habere circiter ducenta millia, sed brevi post habiturum quingenta millia. Idem enarravit Eusebius in Praepar. evang. lib. VIII. 2.[5]) teste usus Aristaeo de judaicarum scripturarum interpretatione, ex quo et ipsum Josephum

[1]) Verba *νομοθεσίας ἦρξε* h. l. non interpretanda esse censeo: legibus condendis operam dare coepit, sed princeps erat vel primas partes tenebat in rogandis ac ferendis legibus, quas libentissime rex in eum detulerat.

[2]) Strabo XIII. c. 1. §. 54. *ὁ γοῦν Ἀριστοτέλης τὴν ἑαυτοῦ (βιβλιοθήκην) Θεοφράστῳ παρέδωκεν, ᾧπερ καὶ τὴν σχολὴν ἀπέλιπε, πρῶτος, ὧν ἴσμεν, συναγαγὼν βιβλία καὶ διδάξας τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ βασιλέας βιβλιοθήκης σύνταξιν.*

[3]) Plutarch. in apophthegm. reg. T. II. p. 189. D. *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς Πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ παρῄνει τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν· ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαρροῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται.* cf. Diod. Sic. XX, 49.

[4]) Jos. ant. jud. XII. 2. *Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, ὃς ἦν ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως* (Philadelphi), *σπουδάζων εἰ δυνατὸν εἴη πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία, καὶ συνωνούμενος, εἴ τί που μόνον ἀκούσειε σπουδῆς ἄξιον ἢ ἡδὺ τῇ τοῦ βασιλέως προαιρέσει, μάλιστα γὰρ περὶ τὴν συλλογὴν τῶν βιβλίων εἶχε φιλοκάλως, συνηγωνίζετο· ἐρομένου δὲ αὐτόν ποτε τοῦ Πτολεμαίου, πόσας ἤδη μυριάδας ἔχει συνειλεγμένας βιβλίων, τῶν μὲν ὑπαρχόντων εἶναι περὶ εἴκοσι, ὀλίγου δὲ χρόνου, εἰς πεντήκοντα συναθροίσειν.*

[5]) Eus. præp. evang. VIII. 2. *κατασταθεὶς ἐπὶ τῆς τοῦ βασιλέως βιβλιοθήκης Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐχρηματίσθη πολλὰ διάφορα, πρὸς τὸ συναγαγεῖν ἅπαντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην βιβλία, καὶ ποιούμενος ἀγορασμοὺς καὶ μεταγραφάς, ἐπὶ τέλος ἤγαγεν, ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ τὴν τοῦ βασιλέως πρόθεσιν· παρόντων οὖν ἡμῶν, ἐρωτηθεὶς πόσαι τινὲς μυριάδες τυγχάνουσι βιβλίων, εἶπεν, ὑπὲρ τὰς εἴκοσι, βασιλεῦ· σπουδάσω δ' ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ πρὸς τὸ πληρωθῆναι πεντήκοντα μυριάδας τὰ λοιπά.* cf. Valckenaer. in diatribe de Aristob. Judaeo p. 57.

hausisse apparet, Demetrium Phalereum, regiae bibliothecae praefectum, ad libros ex orbe terrarum universo congerendos, magna pecuniarum vi a rege accepta, coëmendos alios, alios exscribendos vertendosque curasse, ut, quantum in se esset, voluntati ejus satisfaceret. Ita destituti classicorum scriptorum testimoniis, qui Demetrii bibliotheca praefecturam silentio praeterierunt, ad eos, quos diximus, autores rem rejicere cogimur, quibus, etiamsi ex locupletium testium censu excludamus Aristaeum, ut hominem in aliis rebus falsi manifesto convictum, non facile fidem aliquis potest detrahere, nec Aristobulo, antiquissimo hac in re auctori ac testi, nec christianis scriptoribus, qui, licet aliorum in hac re judicium sequantur, tamen non temere nec sine judicio falsa pro veris prodidisse sunt putandi.

Neque tamen defuerunt viri docti, qui, variis causis adducti, Demetrium Phalereum curatorem sive praefectum bibliothecae Philadelphi fuisse negarent. Primum opponuntur illi narrationi Hermippi verba, quae laudat Diogenes Laërtius in vita Demetrii Phalerei V. 8.[1]) Refert enim Hermippo auctore, Demetrium regi suasorem fuisse, ut filios ex Eurydice natos regni participes faceret. Hoc consilium cum rex repudiasset et illum, quem ex Berenice susceperat, regni successorem constituisset, ab isto post patris mortem in provinciam relegatum in eaque asservatum, quoad aliquid de illo statuisset. Hic illum moestum aegritudine animi in soporem lapsum morsu aspidis interiise. His Hermippi verbis nisus statuit Scaligerus in animadvers. in Euseb. Chronic., Demetrium Phalereum, cum statim ab initio regni Philadelphi perierit, et maximo in odio ei semper sub Ptolemaeo Lagi fuerit, curatorem bibliothecae Philadelphi non fuisse. Optime autem Scaligerum refellit ac redarguit jam Valckenaer. in diatribe de Aristobulo Judaeo p. 53. „Nullo teste constare videtur, Demetrium maximo in odio Ptolemaeo filio sub Ptolemaeo Lagi patre semper fuisse. Quacunque tandem de causa suasor amico fuisse perhibetur, ex Eurydice potius quam Berenice natum regni heredem designaret, Lagidae rem non videtur persuasisse Demetrius: hunc enim sibi pater biennio, antequam moreretur, collegam adscivit in administrando regno.[2]) Tum paene decennium in Aegypto jam exe-

[1]) Diog. Laërt. V. 8. φησὶ δ' αὐτὸν Ἕρμιππος μετὰ τὸν Κασσάνδρου θάνατον φοβηθέντα Ἀντίγονον παρὰ Πτολεμαῖον ἐλθεῖν τὸν Σωτῆρα· κἀκεῖ χρόνον ἱκανὸν διατρίβοντα συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐριδίκης περιθεῖναι παισί· τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος το διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ· ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε· καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε — Ἡρακλείδης δ' ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν θέλειν ἐκχωρῆσαι τὸν Πτολεμαῖον· τὸν δ' ἀποτρέπειν φάσκοντα, ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις.

[2]) Ptolemaeum Lagi biennio ante obitum Ptolemaeum filium regni habuisse socium, patet et ex Diog. Laërt. l. l. et ex Eusebio apud Scalig. in animadv. ad Euseb. chron. p. 133. καὶ ζῶντος μὲν ἔτι τον

gerat Demetrius Phalereus atque adeo tantum temporis, quantum Athenis sapienter gubernandis praefuerat. Novit Scaligerus per omne tempus illud Ptolemaeo patri Demetrium fuisse carissimum et saepe consiliarium utilissimum, sed unde noverat, virum eruditissimum atque elegantissimi ingenii juveni litterarum studiosissimo Ptolemaeo semper in maximo per omne tempus illud odio fuisse? Displicere huic debuit consilium patri datum, sed hoc multo magis probabile fideli tutum fuisse silentio, dum alicunde per aulicum calumniatorem (sive verum esset seu fictum) emanaverit ad Ptolemaeum, quod non ante factum suspicor, quam mortuus esset amicus Demetrii. Si dederat id consilium Demetrius, atque illud mox emanaverat ad Ptolemaeum, hic propterea Demetrium odio semper prosecutus fuerat, cur non, amico rege moriente, fuga sibi consuluit, sicut ante fecerat post amici sui Cassandri mortem metuens Antigonum? Sed ex quibus deinde verbis Hermippi Scaligero constitit, Demetrium statim initio regni Philadelphi periisse. Nam quod nobis narrat Jac. Perizon. in Aeliani V. H. III, 17. invisum ab initio regni Philadelpho ideoque relegatum ab eo ac ad mortem aspidis morsu adactum, adversatur Hermippo et Ciceroni, quorum de morte Demetrii verba Scaligerus jam comparavit. Simpliciter Hermippus *μετὰ τὴν ἐκείνου* ait *τελευτήν*, quantillum fuisset, si illud alterum esset dicendum, voculam *εὐθέως* vel aliam adjecisse. Salva Hermippi fide potuit annus unus et alter intercedere, antequam in odium incurreret Philadelphi.“ Quam Valckenarii argumentationem a veri specie non abhorrere patet, neque quidquam a me addi opus est. —

Alterum, quod objicitur sententiae, qua Demetrius bibliothecae praefectus fuisse contenditur Ptolemaei Phaladelphi tempore, sumtum est ab indignitate muneris bibliothecarii. Non esse verisimile, Demetrium Phalereum, principem et legumlatorem omnium sui temporis sapientissimum, fuisse bibliothecae praefectum. Wowerus in syntagmate de graeca et latina bibliorum interpretatione c. III. ita dicit: „Quomodo quaeso illa Demetrio conveniant peripatetico philosopho, summis honoribus functo et maxima potentia celebri.“ Idem urget Humfredus Hodius (vide apud Valcken. in Aristob. Jud. p. 55), cui adversatur Isaacus Vossius de LXX interpretatione c. 4. p. 10, ubi dicit, Demetrium Phalereum bibliothecae praefectum fuisse minus mirandum esse, quam quod Dionysius tyrannus, regno privatus, litteras pueros docuerit — ad quae ita respondet Hodius: Dionysium tyrannum magno fuisse in odio apud omnes, et exutum regno necesse habuisse docendis pueris victum quaeritare, quum e contrario constet, Demetrium Phalereum, postquam a principatu suo relegatus esset, in Aegypto opibus honoreque maximo floruisse. Copiosius autem Is. Vossius refutat Hodium in append. observ. ad Pompo-

πρώτον Πτολεμαίου, ὃν Σωτῆρα ἐπεκάλουν δύο πληροῖ (Philadelphus) *τὰ βασιλείας ἔτη.* De tempore, quo pater et filius simul regnare coeperint., cf. Sturz de dialecto Macedonica et Alexandrina §. 1. p. 2.

nium Melam. p. 65. 66. „Si in Galliam transeat, inquit, inveniet archiepiscopum Remensem, primatem totius Galliae, qui sit regius bibliothecarius, si Romam pergat, habebit primarium cardinalem, qui romanae ecclesiae bibliothecarii gaudeat titulo. Quodsi non tantum a magnitudine et potentia regum Aegypti, sed et a dignitate ipsius bibliothecae argumentum ducamus necesse est, tanto praestantius id munus olim fuisse existimemus, quanto Alexandrina olim bibliotheca praestantior fuit Vaticana, additis etiam in cumulum omnibus totius Europae bibliothecis, ut merito aliquis dixerit, non minus gloriosam Demetrio bibliothecae praefecturam fuisse sub Ptolemaeo, quam Athenarum sub Cassandro etc." Neque nos offendit, quod Tertullianus in Apologetico, ubi de interpretatione bibliorum agitur, Demetrium Phalereum grammaticorum tunc peritissimum nominat, quare Wowerus alium grammaticum Demetrium quaerendum esse putat. Demetrius, quem grammatica scripsisse postea videbimus, ut *περὶ Ἰλιάδος* commentarios, *περὶ Ὀδυσσείας*, *περὶ Ἀντιφάνους*, *Ὁμηρικόν*, alia, non indignus erat, qui tam honorifico nomine appellaretur, quo Tertullianum ob id ipsum usum esse verisimile est, quod mentionem ejus facit bibliothecae praefecti, quum libros iniquirere et instruere bibliothecas proprium esset grammaticorum.[1]) Hac igitur ratione Demetrium Phalereum grammaticum appellavit Tertullianus. —

Accedit tertium idque gravissimum, quod sententiae scriptorum ecclesiasticorum repugnare videtur, quod Suidas s. v. *Ζηνόδοτος* Zenodotum grammaticum bibliothecae praefectum facit eo tempore, quo Demetrius Phalereus eo munere functus esse narratur. *Ζηνόδοτος, Ἐφέσιος, ἐποποιὸς καὶ γραμματικὸς, μαθητὴς τοῦ Φιλητᾶ, ἐπὶ Πτολεμαίου γεγονὼς τοῦ πρώτου· ὃς καὶ πρῶτος τῶν Ὁμήρου διορθωτὴς ἐγένετο, καὶ τῶν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ βιβλιοθηκῶν*[2]) *προὔστη, καὶ τοὺς παῖδας Πτολεμαίου ἐπαίδευσεν.*[3])

[1]) Idem de Tyrannione, Epaphrodito, multis aliis proditum est. Ideo in autores eorumque opera diligenter inquirebant et indices librorum publicabant. Callimachus grammaticus composuerat *πίνακα παντοδαπῶν συγγραμμάτων*, et Telephus vulgaverat libros *βιβλιακῆς ἐμπειρίας, ἐν οἷς διδάσκει τὰ κτήσεως ἄξια βιβλία*. Ob hanc igitur multiplicem librorum peritiam grammatici bibliothecis praefici solebant. Ita apud Suetonium legimus, C. Melissum grammaticum curam ordinandae bibliothecae, quae in Octaviae porticu erat, suscepisse, et Hyginum grammaticum Palatinae bibliothecae praefuisse.

[2]) Prioris an utriusque bibliothecae, dubitare licet; quamquam illuc perducit veri quaedam similitudo, praesertim si recte se habet, quod extat in prooemiis de Apollonio Rhodio, *ὡς καὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ Μουσείου ἀξιωθῆναι αὐτόν*.

[3]) De hoc loco v. Weichertus über das Leben und das Gedicht des Apollonius p. 12. (cf. Clint. F. H. III p. 491.). Is post Mansonem vidit rationes temporum, ut Ptolemaei Philadelphi liberos erudiendos acceperit, requirere. Probat etiam Ritschelius de bibliothecis Alexandrinorum disputans p. 82. Improbat praeter alios Hefflerus in dissert. de Zenodoto p. 4. ratus scilicet integram esse horum

Ea difficultate, quam Suidae verba ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ πρώτου objiciunt, a Weicherto et Ritschelio l. l. Philadelphum dictum esse probantibus, sublata, a veri specie non aberrabimus, ita ut neque antiquae ecclesiae scriptoribus omnis derogetur fides nec Suidae infringatur testimonium, statuentes, Demetrium sub Philadelpho licet breve tantum tempus bibliothecarii munere functum esse neque multo post ejus regni initium in odium regis incidisse, Zenodotum vero ei in hoc munere successisse; nisi malis conjectare, Demetrium Phalereum bibliothecae custodem sive bibliothecarium quidem non fuisse, sed primariam bibliothecae curam ipsi a Ptolemaeo demandatam, ita ut Zenodotus et Demetrius eodem tempore bibliothecis fuerint praefecti, alter custos sive bibliothecarius, alter curator, sicut etiam hodie apud nos utrumque munus est separatum. Utut res se habet, neque silentium classicorum scriptorum de Demetrii Phalerei bibliothecae praefectura, neque Suidae de Zenodoto testimonium, neque odium regis, in quod inciderit Demetrius, nos cogit, ut fidem derogemus antiquae ecclesiae scriptoribus.

Quae quum ita sint, non est quod dubitem, quin Demetrius Phalereus non modo Ptolemaeo Philadelpho regnante bibliothecae Alexandrinae praefuerit, sed etiam sub Ptolemaeo Lagi eandem jam curaverit bibliothecam. Satis enim constat, constitutam esse bibliothecam jam a Ptolemaeo patre, cui, ut compararet et legeret libros de regno et principatu scriptos, Demetrium suasisse apud Plutarchum legimus. Itaque Ptolemæum primum, cujus munificentia in litterarumque studia amor singularis Alexandriae, nova et amplissima urbe, in ipsis utriusque orbis confiniis sita, civiumque et exterorum frequentia, commerciis, opibus, luxu regali mirabiliter florente, perfugium et receptaculum tutum et honorificum paraverat, non solum condidisse museum, primum ac fortasse unicum per terrarum orbem doctissimorum hominum contubernium atque convictum, regiis sumtibus liberaliter sustentatum, sed etiam alteram[1]) certe bibliothecam, librorum copiis instructissimam, in Bruchio, Alexandriae urbis parte pulcherrima regumque sede, constitutam sine ulla dubitatione confirmaverim. Neque id conjicere dubitaverim, hanc alteram bibliothecam, a Ptolemaeo primo Demetrio Phalereo inprimis auctore et suasore constitutam, ultimis quidem regni annis, Ptolemaeo filio in regni societatem jam adscito, ita auctam esse et amplificatam, ut Demetrio bibliothecarii munere fungi maximo esset honori. Neque igitur mirum videri potest, a scriptoribus modo patrem modo filium no-

orationem, ἐπὶ Πτολεμαίου τοῦ πρώτου, quae nemo graece doctus eloqui potuit de Ptolemaeo Sotere. Sed desiderantes quaedam in eam sententiam, quam Plutarchus adv. Epicur. p. 1095 D. sic conformavit, Πτολεμαῖος ὁ πρῶτος συναγαγὼν τὸ Μουσεῖον. Utut est, Philadelphum non dubitabimus agnoscere.

[1]) Duplicem bibliothecam Alexandriæ a Ptolemæis conditam esse constat, alteram in Bruchio, alteram, quæ serius accessisse videtur, in Serapeo sitam.

minari bibliothecae auctorem conditoremque, quum praesertim, filio regni socio adjuncto, uterque una regnaret biennio ante obitum Ptolemaei primi; nisi alterum bibliothecam in Bruchio, alterum bibliothecam in Serapeo constitutam condidisse conjectare velimus. Christiani vero scriptores, qui id maxime agebant, ut memoriae proderent eum regem, quem libros sacros graece interpretandos curavisse sciebant, neglecto Ptolemaeo Lagide, quippe qui, priusquam suscepta res perfecta esset, moreretur, omnia consilia quum ad bibliothecam condendam tum ad graecam illam sacrorum librorum versionem spectantia, ei soli ascribere non dubitabant, quem maxime ad florentissimas bibliothecas augendas atque exornandes plurimum contulisse et rem Demetrio auctore a Ptolemaeo primo quidem coeptam perfecisse cognitum habebant. —

Iidem scriptores, Aristaeus, Aristobulus, Josephus et scriptores christiani fere omnes, praecedentem quisque secutus, qui Demetrium Phalereum, Ptolemaeo Philadelpho regnante, bibliothecae Alexandrinae praefectum fuisse tradunt, eo tempore, quo hoc bibliothecarii munere fungeretur, librorum sacrorum interpretationem eundem curavisse affirmant. Neque etiam res, quae narratur, quidquam habet, quod a veri specie abhorreat. Nam quae Hermippum de odio, quo Ptolemaeus Philadelphus Demetrium Phalereum prosecutus sit, prodidisse supra commemoravimus, cum iis, quae narrantur de Demetrio libros sacros graece interpretandos procurante, minime pugnare supra demonstravimus, quum eandem rem Demetrii Phalerei cura inceptam esse statuamus ultimo regni biennio Ptolemaei Lagi, Philadelpho a patre in regni societatem jam adscito, perfectam vero post patris obitum, cum Philadelphus solus regnare coepisset. Itaque idem, quod de Philadelpho memoriae prodideriut scriptores christiani, jam Ptolemaeo patre regnante inceptum esse conjectare ausim, quare non esse existimo, quod propter odium, in quod Demetrius post Ptolemaei amici mortem aulici calumniatoris indicio, auctoritati fortasse, qua Demetrius apud filium non minus florebat quam apud patrem, invidi, inciderit, illis scriptoribus omnem fidem abrogemus. Ita fide habita Hermippi quoque narrationi, tempus, quo Demetrius a Philadelpho inclemente atque irato in exsilium missus sit, in incerto relinquentis, non cogimur, ut negemus, quae christiani scriptores fere omnes de Demetrio libros sacros graece interpretandos Ptolemaei Philadelphi regis verbis et nomine procurante in perpetuum hujus regis honorem memoriae prodiderunt. —

Jam vero rem ipsam, qualem Aristaeus et, qui eum secuti sunt, retulerint, eo autore, qui in gravissima re cum iis dissentit, non sublato, ad conjecturam meam, quoad fieri poterit, argumentis confirmandam in medium proferamus; quo facto, quid commoverit viros doctos, ut neque Aristaeo neque iis, qui post eum litteris consignaverint, Demetrium Phalereum legis divinae ex hebraica lingua in graecam translationem, per septuaginta interpretes absolutam, procurasse ullam fidem habendam esse censeant.

Ptolemaeum Philadelphum, Ptolemaei Lagi filium, Aegypti regem, incensum dulcedine litterarum, Alexandriae insignem bibliothecam condidisse ii, quos diximus, scriptores tradiderunt; nec graecos eum congessisse libros satis arbitratum a Chaldaeis quoque et Judacis, Persis, Assyriis, Romanis aliisque gentibus libros petivisse eosque graece conversos in bibliotheca reponi jussisse. Itaque quum intellexisset ex Demetrio Phalereo, quem litterarum laudibus illustrem bibliothecae praefecerat, exstare apud Judaeos volumina prophetarum, in quibus de deo, de mundi opificio, aliaque reconditae sapientiae monumenta continerentur, scripsisse eum Hierosolymam ad Judaeos, ut illa transmitterent. Lectis regiis litteris, libros aureis characteribus descriptos ad regem eos curavisse. Quum vero illi traditi hebraeo idiomate, cujus imperitus esset, conscripti essent, petivisse eum interpretes, qui ex Hebraeo in graecum sermonem libros istos converterent. Missos igitur esse ex Judaea viros septuaginta duo hebraeas et graecas litteras accurate doctos; hos sacram scripturam in Pharo insula graece interpretatos esse Olymp. CXXVII, anno Philadelphi regis decimo sexto; hanc esse interpretationem, quam LXX a numero illorum, qui ei operam dederint, dicamus, esti viri septuaginta duo ei praefuisse verisimile sit; ex singulis enim tribubus sex delectos fuisse, sed, ut ait Augustinus, interpretatio ista ut LXX vocaretur, obtinuisse consuetudinem. Demetrium autem Phalereum, Alexandrinae bibliothecae praefectum, totum negotium interpretationis curasse ejusque impulsu regem Ptolemaeum illud suscepisse. Atque haec testatur Aristaeus, cujus auctoritate et testimonio nisos Eusebius, Josephus et christiani scriptores fere omnes eandem rem se prodidisse fatentur. Euseb. Praep. evang. VIII. 2. *προςήγγελται* (ita Demetrium Phalereum ad Ptolemaeum regem locutum esse dicit Aristaeus) *δέ μοι καὶ τὰ τῶν Ἰουδαίων νόμιμα, μεταγραφῆς ἄξια καὶ τῆς παρά σοι βιβλιοθήκης εἶναι· τί τὸ κωλύον οὖν, εἶπεν* (rex), *ἐστί σε τοῦτο ποιῆσαι; πάντα γὰρ ἀποτέτακταί σοι τὰ πρὸς τὴν χρείαν. Ὁ δὲ Δημήτριος εἶπεν· ἑρμηνείας προςδεῖται· χαρακτῆρσι γὰρ ἰδίοις κατὰ τὴν Ἰουδαίαν χρῶνται, καθάπερ Αἰγύπτιοι τῇ τῶν γραμμάτων θέσει, καθὸ καὶ φωνὴν ἰδίαν ἔχουσιν· ὑπολαμβάνονται δὲ Συριακῇ χρῆσθαι· τὸ δ'οὐκ ἔστιν, ἀλλ'ἕτερος τρόπος. Μεταλαβὼν δὲ ἕκαστα ὁ βασιλεὺς, εἶπε γραφῆναι πρὸς τὸν ἀρχιερέα τῶν Ἰουδαίων, ὅπως τὰ προειρημένα τελείωσιν λάβῃ. Ὡς δὲ κατεπράχθη ταῦτα, τὸν Δημήτριον ἐκέλευσεν ἐκδοῦναι περὶ τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων ἀναγραφῆς κτλ.* — Idem litteris custodivit epistolam Demetrii Phalerei ad Ptolemaeum, Aegypti regem, de eadem re scriptam, de qua infra accuratius agetur. Hoc loco sufficiat, nonnisi ea verba, quae spectant rem, de qua agitur, transcribere ex Euseb. Praep. evang. VIII. 3. *Προστάξαντός σου, βασιλεῦ, περὶ τῶν ἀπολειφθέντων εἰς τὴν συμπλήρωσιν τῆς βιβλιοθήκης βιβλίων, ὅπως ἐπισυναχθῇ καὶ*

τὰ διαπεπτωκότα τύχῃ τῆς προσηκούσης ἐπισκευῆς, πεποιημένος οὐ παρέργως τὴν ἐν τούτοις ἐπιμέλειαν, προσαναφέρω σοι. Τὰ δὲ τοῦ νόμου τῶν Ἰουδαίων βιβλία σὺν ἑτέροις ὀλίγοις τισὶν ἀπολείπει. Τυγχάνει γὰρ Ἑβραϊκοῖς γράμμασι καὶ φωνῇ λεγόμενα· ἀμελέστερον δὲ καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει σεσήμανται, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσαναφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τετύχηκεν. Δέον δὲ ἔτι καὶ ταῦθ' ὑπάρχειν παρά σοι διηκριβωμένα, διὰ τὸ καὶ φιλοσοφωτέραν εἶναι καὶ ἀκέραιον τὴν νομοθεσίαν ταύτην, ὡς ἂν οὖσαν θείαν. Διὸ πόρρω γεγόνασιν οἵ τε συγγραφεῖς καὶ ποιηταὶ καὶ τὸ τῶν ἱστορικῶν πλῆθος τῆς ἐπιμνήσεως τῶν προειρημένων βιβλίων καὶ τῶν κατ' αὐτὰ πεπολιτευμένων ἀνδρῶν διὰ τὸ ἁγνήν τινα καὶ σεμνὴν εἶναι τὴν ἐν αὐτοῖς θεωρίαν, ὥς φησιν Ἑκαταῖος ὁ Ἀβδηρίτης. Ἐὰν οὖν φαίνηται, βασιλεῦ, γραφήσεται πρὸς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις ἀρχιερέα, ἀποστεῖλαι τοὺς μάλιστα καλῶς βεβιωκότας καὶ πρεσβυτέρους ἄνδρας καὶ ἐμπείρους τῶν κατὰ τὸν νόμον ἑαυτῶν, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως τὸ σύμφωνον ἐκ τῶν πλειόνων ἐξετάσαντες καὶ λαβόντες τὸ κατὰ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβὲς ἀξίως καὶ τῶν πραγμάτων καὶ τῆς σῆς προαιρέσεως θῶμεν εὐσήμως. — Τῆς δὲ ἐκδόσεως ταύτης γενομένης, ἐκέλευσεν ὁ βασιλεὺς γραφῆναι πρὸς τὸν Ἐλεάζαρον κτλ. **Sed rex ipse scripsit epistolam ad Eleazarum, summum Hierosolymorum pontificem, ex qua haec exscribimus. Euseb. Praep. evang. VIII. 4.** *βουλομένων δὲ ἡμῶν καί σοι χαρίζεσθαι καὶ πᾶσι τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἰουδαίοις καὶ τοῖς μετέπειτα, προῃρήμεθα τὸν νόμον ὑμῶν μεθερμηνευθῆναι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς ἐκ τῶν παρ' ὑμῖν Ἑβραϊκῶν λεγομένων γραμμάτων, ἵν' ὑπάρχῃ καὶ ταῦτα παρ' ἡμῖν ἐν βιβλιοθήκῃ σὺν τοῖς ἄλλοις βασιλικοῖς βιβλίοις. Καλῶς οὖν ποιήσεις καὶ τῆς ἡμετέρας σπουδῆς ἀξίως, ἐπιλέξας ἄνδρας καλῶς βεβιωκότας, πρεσβυτέρους, ἐμπειρίαν ἔχοντας τοῦ νόμου καὶ δυνατοὺς ἑρμηνεῦσαι, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, ὅπως ἐκ τῶν πλειόνων τὸ σύμφωνον εὑρεθῇ κτλ.* **Ad haec respondit Eleazarus apud Euseb. VIII. 5.** *καὶ ὅπως γένηται συμφερόντως καὶ μετ' ἀσφαλείας ἡ τοῦ ἁγίου νόμου μεταγραφὴ, παρόντων πάντων, ἐπελεξάμην ἄνδρας καλοὺς καὶ ἀγαθοὺς, πρεσβυτέρους, ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ, οὓς καὶ ἀπεστάλκαμεν ἔχοντας τὸν νόμον.* **Alio vero loco (XIII. 12.) Eusebius tradit, Aristobulum Judaeum ad regem Ptolemaeum Philometorem scripsisse, Mosis libros[1]) ante Demetrium Phalereum graece translatos fuisse; totam vero scripturam jussu Philadelphi**

[1]) Tum vero nonnisi pentateuchus translatus est, cujus versionem posterioribus demum temporibus paulatim secutæ sunt reliquorum librorum divinorum versiones, utpote quas non ab uno sed a diversis auctoribus profectas esse constat ex ipsarum versionum indolis ac styli diversitate. cf. Sturz. de dial. Mac. et Alex. p. 26. Pentateuchi tamen versio ab uno auctore videtur profecta

regis et opera quidem Demetrii Phalerei conversam. *Διηρμήνευται γὰρ πρὸ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως δι' ἑτέρων πρὸ τοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ Περσῶν ἐπικρατήσεως κτλ. Ἡ δ' ὅλη ἑρμηνεία τῶν διὰ τοῦ νόμου πάντων ἐπὶ τοῦ προςαγορευθέντος Φιλαδέλφου βασιλέως, Δημητρίου τοῦ Φαληρέως πραγματευσαμένου τὰ περὶ τούτων.*[1]) **Eundem Aristobulum ejusdem rei testem laudat Clemens Alexandrinus in Stromm. I. Alii vero antiqui autores, qui Demetrii Phalerei vitam conscripserunt, ut Diogenes Laërtius, vel alioquin mentionem ejus scriptis suis inseruerunt, ut Plutarchus, Aelianus, Athenaeus, Diodorus Siculus, Cicero, alii, ne verbo quidem hoc attingunt. Utcunque res se habet, quam Aristaeo auctore christiani scriptores copiose et abundanter perscripserunt, singulis Aristaei de LXX interpretatione narrationis partibus, utpote quae ad nostram rem non pertineant, in incerto relictis, id certe constat, sacrorum librorum versionem Ptolemaeo Philadelpho rege et singulari quidem Demetrii Phalerei industria perfectam atque absolutam esse. —**

Neque vero desunt ea quoque scriptorum testimonia, quae idem, quod Philadelphum perfecisse omnes inter se consentiunt, a primo Ptolemaeo susceptum atque institutum esse conjectantem me adjuvare possint. Irenaeus l. l. expressis verbis ait, hanc versionem, cui nomen inditum est LXX, non a Ptolemaeo Philadelpho, sed ejus patre Ptolemaeo Lagide institutam esse, et Clemens Alexandrinus in stromm. lib. I. refert, conversos fuisse libros sacros ex Hebraeo tempore Ptolemaei Philadelphi, tanquam in re dubia haesitaret, utri potissimum illud tribuendum esset.[2]) **Huc accedit, quod**

[1]) Fere eadem narravit Josephus in antiq. judaic. lib. XII. c. 2., quem eodem, quo Eusebius, fonte usum esse facile intelligitur. *Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, ὃς ἦν ἐπὶ τῶν βιβλιοθηκῶν τοῦ βασιλέως, σπουδάζων εἰ δυνατὸν εἴη πάντα τὰ κατὰ τὴν οἰκουμένην συναγαγεῖν βιβλία κτλ. μεμηνῦσθαι δὲ ἔλεγεν αὐτῷ πολλὰ εἶναι καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις, τῶν παρ' αὐτοῖς νομίμων συγγράμματα, σπουδῆς ἄξια καὶ τῆς βασιλέως βιβλιοθήκης, ἃ τοῖς ἐκείνων χαρακτῆρσι καὶ τῇ διαλέκτῳ γεγραμμένα, πόνον αὐτοῖς οὐκ ὀλίγον παρέξειν εἰς τὴν ἑλληνικὴν μεταβαλλόμενα γλῶσσαν. — Οὐδὲν οὖν ἔλεγε κωλύειν καὶ ταῦτα μεταβαλόντα, δύνασθαι γὰρ τῆς εἰς ταῦτα χορηγίας εὐποροῦντα, ἔχειν ἐν τῇ βιβλιοθήκῃ καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις. Δόξας οὖν ὁ βασιλεὺς ἄριστα τὸν Δημήτριον φιλοτιμούμενον περὶ τὸ πλῆθος αὐτῷ τῶν βιβλίων ὑποτίθεσθαι, γράφει τῷ τῶν Ἰουδαίων ἀρχιερεῖ ταῦτα γίνεσθαι. — Ἐπειδὴ δὲ ταῦτα ἐγένετο κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως βούλησιν μεγαλοπρεπῶς, ἐκέλευσε τὸν Δημήτριον ἐκδοῦναι καὶ τὸ περὶ τῆς τῶν Ἰουδαϊκῶν βιβλίων ἀναγραφῆς δόγμα· οὐδὲν γὰρ εἰκῇ τοῖς βασιλεῦσιν ᾠκονόμητο, πάντα δὲ μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἐπράττετο.* — Idem Josephus mentionem facit epistolae Demetrii ad regem de hac re scriptae, a verbis quidem Eusebii passim recedentis, in re ipsa autem ita consentientis, ut dubium esse non possit, quin uterque eodem fonte Aristaeo sint usi. In Demetrii fragmentis infra colligendis utriusque scriptoris verba, quatenus et discrepant et consentiunt, inter se comparare licebit.

[2]) Quod Justinus Martyr in apolog. II. scribit, Ptolemæum per epistolam petiisse a Judæorum rege Herode, ut libros prophetarum transmitteret, Herodem codices hebraica lingua conceptos transmisisse, gravissimum illum scriptorem errasse manifestum est.

Eusebius (XIII, 12) ipse, qui integram bibliorum versionem Ptolemaei Philadelphi tempore praecipua Demetrii Phalerei totum negotium moderantis opera exortam esse narrat, singulas partes et Mosis quidem libros jam prius graece conversas fuisse Aristobulo auctore prodidit; quod eundem Aristobulum ejusdem rei testem laudavit Clemens Alexandrinus l. l. Has varias et discrepantes inter se scriptorum sententias ita tollendas et solvendas esse existimo, ut jam Ptolemaeum primum, quem Demetrio Phalereo auctore et suasore bibliothecam instituisse eamque multis voluminibus coëmtis auxisse probavimus, ab eodem impulsum singulas sacrorum bibliorum partes graece interpretandas curavisse; integram autem omnium bibliorum versionem, per septuaginta duos interpretes perfectam et absolutam, Ptolemaeum Philadelphum idque ipsum ejusdem Demetrii Phalerei opera instituisse sumamus.

Iidem autem viri docti, qui Demetrium Phalereum Ptolemaeo Philadelpho rege bibliothecae Alexandrinae praefuisse negant, neque Aristaeo, neque qui post eum scripserunt de Demetrio Phalereo sacrorum librorum interpretatione procurante, fidem ullam habendam esse censent. Humfredus Hodius, quocum consentit Sturz. de dialecto Macedonica et Alexandrina p. 3., Wowerus in syntagmate de graeca et latina bibliorum interpretatione, alii,[1]) qui eorum sententias sunt secuti, ex historia temporis patere dicunt, Judaeos interpretationis graecae librorum sacrorum procurandae sua sponte consilium cepisse, quandoquidem Judaei Alexandriae viventes, lingua sua neglecta, linguam graecam didicissent, neque adeo legere omnes et intelligere potuissent libros suos sacros hebraice scriptos. Jam Valckenaerius in eorum sententiam ita respondit: „Qui tamdiu sacra sibi patria fecerunt, absque vernaculae sacrorum librorum versionis adjumento, qui hodie illa

[1]) Profecto multi sunt, qui omnino Aristæi librum de interpretatione veteris testamenti ab eo, ad quem referatur, conscriptum esse negantes historiam LXX interpretum Aristæi nomine inscriptam a Judæo quodam ad auctoritatem versioni graecae conciliandam confictam esse probent, ut van Dale dissert. super Aristea de LXX interpretibus. Amst. 1705, 4.; Humfredus Hody contra historiam Aristeæ de LXX interpretibus dissertatio 1684, 8; de bibliorum textibus originalibus, versionibus græcis, et latina vulgata libri IV. I. Contra historiam LXX interpretum Aristeæ nomine inscriptam dissertatio, qua probatur a Judæo quodam fuisse confictam, et Is. Vossii aliorumque doctorum virorum defensiones ejusdem ad examen revocantur. II. De versionis LXX interpretum auctoribus veris eamque conficiendi tempore, modo et ratione. III. Historia scholastica textuum originalium versionisque græcæ LXX dictæ et latinæ vulgatæ. IV. De ceteris græcis versionibus. — Neque vero desunt viri docti, qui ab iis dissidentes, Aristæi auctoritate et fide sustentata, Aristæi librum genuinum esse argumentis confirmaverint, ut præter eos, quos supra diximus, Montfaucon de Aristeæ exemplaribus, quæ nunc exstant, genuinis; Humphrey Prideaux: the account of Aristeas of the Septuagint confuted; Rosenmüller: über die Aechtheit der Schrift des Aristeas; Whiston: a large appendix, to prove that Aristeas's history of the version of the Pentateuch by the 72 interpreters, still extant, is genuine.

colunt ubique gentium, mirarer equidem, si isto inprimis articulo temporis, quo libri quivis undique terrarum in regiam conquirebantur bibliothecam, nullius rogatu vel jussu sed suo motu rem fuerint a moribus suis abhorrentem aggressi. Mihi monitu Demetrii primus videtur Ptolemaeus concitatus, ut Judaeorum quoque leges cum tot aliis bibliothecae suae pararet, benignissimi regis et munificentissimi jussui videntur, suorum etiam graece tantum intelligentium popularium habita forsan quadam ratione, perlibenter obsecundasse Judaei rem, ut perficeretur, omni modo sive sub utroque, certe sub primo Ptolemaeo curavisse Demetrius. Quid enim probabilius, quam undique libros in suam conquirenti bibliothecam regi Lagidae Demetrium fuisse suasorem, ut leges etiam Judaeorum sibi graece curaret converti, praesertim qnum in legibus civitati scribendis occupatus esset quam maxime."[1]) Haec sufficiant, neque enim libet de hac re plura scribere, quum versionem illam, quam vocant LXX, a Ptolemaeo Philadelpho Demetrio auctore perfectam atque absolutam esse satis mihi sit exploratum.

Restat denique, ut nonnulla addantur de Demetrii vita in Aegypto vel apud reges, quorum gratia eum plurimum valuisse vidimus, vel in exsilio transacta, postquam in Ptolemaei Philadelphi regis offensionem incurrit. Non perpetua Demetrii Phalerei mansit fortuna in Aegypto. Primum enim oculorum lumina aliquamdiu eum amisisse legimus apud. Diog. Laërtium V. 5. 76.[2]) Causam morbi ignorantibus verisimile videtur, eum, quum aërem calidum sustinere non potuisset, oculis captum esse; sed recuperasse tamen oculorum aciem Demetrium Phalereum, a Serapide[3]) deo, ut dicunt, sanatum, Diogenes

[1]) Longum est illa omnia proferre, quæ Aristæi narrationi opponuntur, quum praesertim ea refellere et redarguere nullius sit negotii. Wowerus l. l., omnino infirmis argumentis nisus, ad Aristæo fidem abrogandam ita dicit: „Ridicule vero regem præsentem per epistolam alloquitur Demetrius. Et si hoc more Ptolemæo usitato ipsum fecisse concedamus, qua quaeso ratione suadet, scribendum ad Judæorum pontificem, ut mitteret seniores *ἐμπείρους τῶν κατὰ τὸν νόμον τὸν ἑαυτῶν ἀφ' ἑκάστης φυλῆς ἕξ κτλ.* Hæc scribit Demetrius imperitus omnino rituum Judaicorum, senes ex singulis tribubus esse petendos, ut in tanta interpretum multitudine illud praeferrent, in quo consensissent" etc. Ineptum vero non esse, quod Demetrius regem præsentem per epistolam adeat, colloquio cum Ptolemæo rege de vertendis sacris Judaeorum libris habito, satis apparet ex iis locis, quos affert H. Hodius de bibl. textu origin. p. 65. — Hanc rem multo copiosius exponere poteram, sed ea, quae saepius jam tractata sunt a viris eruditissimis, retractare nolebam.

[2]) Diog. Laërt. V. 5, 76. *λέγεται δὲ ἀποβαλόντα αὐτὸν τὰς ὄψεις ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, κομίσασθαι αὖθις παρὰ τοῦ Σεράπιδος· ὅθεν καὶ τοὺς παιᾶνας ποιῆσαι τοὺς μέχρι νῦν ᾀδομένους.* cf. Casaubonus ad h. l.

[3]) Colebatur quidem Serapis apud Aegyptios Memphi inde ab antiquissimis temporibus diuque ante Ptolemaeos, is autem Serapis, de quo hic agitur, a Ptolemaeo Lagi Sinope Alexandriam advectus est ibique coli coeptus. Hunc deum, ut Tacitus hist. IV. 84., multi Aesculapium, quod medeatur aegris corporibus, quidam Osirin, antiquissimum Aegyptiorum numen, plurimi Ditem patrem conjectant. cf. Amm. Marcellin. XXII. 16.

eodem loco retulit. Ad hunc Serapidem deum, cui Ptolemaeus Lagi magnificentissimum templum exstruxit, qui, ut Iris omnibus animi morbis, ita corporis aegritudinibus mederi posse putabatur, se convertit oculorumque morbo liberatus esse dicitur. Demetrius autem Phalereus, a Serapide deo sanatus, in ipsum paeanas, postea etiam decantari solitos, fecisse fertur.

Quo tempore Demetrius hoc oculorum morbo laboraverit, utrum Ptolemaeo Lagi regnante an Ptolemaeo Philadelpho, Diogenes Laërtius non commemoravit. Alteram autem calamitatem, in quam Demetrium Phalereum incidisse idem Diogenes narrat, ut gratia exciderit apud regem, ut in custodiam ductus ibique mortuus sit, Ptolemaeo regnante eum accepisse constat. Diogenes Laërtius[1]) Hermippo auctore prodit, Demetrium consuluisse regi (Ptolemaeo Lagi), ut filiis, quos ex Eurydice suscepisset, regnum traderet; quum vero ille non obtemperasset, sed ejus, quem ex Berenice genuisset, filii (Philadelphi) capiti diadema imposuisset, ab hoc ipso post patris mortem Demetrium fuisse asservatum in provincia, quoad aliquid de illo statuisset; hic illum maestius vixisse, et veluti dormitantem ab aspide manum morsum ex vita migrasse, sepultumque esse in Busirite regione[2]) prope Diospolin. Heraclide auctore Diogenes ascribit, Ptolemaeum Philadelpho filio concedere voluisse regnum, Demetrium autem id prohibere studuisse

[1]) V. 5. 78. *συμβουλεύειν τῷ Πτολεμαίῳ πρὸς τοῖς ἄλλοις καὶ τὴν βασιλείαν τοῖς ἐξ Εὐρυδίκης περιθεῖναι παισί· τοῦ δὲ οὐ πεισθέντος, ἀλλὰ παραδόντος τὸ διάδημα τῷ ἐκ Βερενίκης, μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτὴν ἀξιωθῆναι πρὸς τούτου παραφυλάττεσθαι ἐν τῇ χώρᾳ, μέχρι τι δόξει περὶ αὐτοῦ. Ἐνταῦθα ἀθυμότερον διῆγε· καί πως ὑπνώττων ὑπ' ἀσπίδος τὴν χεῖρα δηχθεὶς τὸν βίον μετέθηκε· καὶ θάπτεται ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ πλησίον Διοςπόλεως· καὶ ἐπεγράψαμεν ἡμεῖς·*

Ἀνεῖλεν ἀσπὶς τὸν σοφὸν Δημήτριον,
Ἰὸν ἔχουσα πολύν,
Ἄσμηκτον, οὐ στίλβουσα φῶς ἀπ' ὀμμάτων,
Ἀλλ' ἀΐδην μέλανα.

Ἡρακλείδης δ' ἐν τῇ ἐπιτομῇ τῶν Σωτίωνος διαδοχῶν τῷ Φιλαδέλφῳ τὴν βασιλείαν θέλειν ἐκχωρῆσαι τὸν Πτολεμαῖον· τὸν δ' ἀποτρέπειν φάσκοντα, „ἂν ἄλλῳ δῷς, σὺ οὐχ ἕξεις“.

[2]) His consentanea habet Suidas: *ἐτάφη ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ, πλησίον Διοςπόλεως, τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι.* Ex his verbis *τῆς ἐν τοῖς ἕλεσι* patet, Diospolim illam, in qua sepultus sit Demetrius, non esse magnam Diospolim, id est, Thebas Aegyptias, quae a mari procul aberat; sed alteram Diospolim prope Mendetem et Leontopolim et Busirim, quam praeter Nili alveos, Busiritem et Athribitem varii lacus cingebant, ut docet Strabo XVII, 802: *πλησίον δὲ Μένδητος καὶ Διὸς πόλις καὶ περὶ αὐτὴν λίμναι καὶ Λεοντόπολις· εἶτ' ἀπωτέρω ἡ Βούσιρις πόλις ἐν τῷ Βουσιρίτῃ νομῷ.* cf. Plin. V. 10. et Stephanus s. v. *Βούσιρις.* Ab urbe Busirite etiam huic praefecturae nomen erat. Aegyptus in praefecturas divisa fuit, quas Aegyptii *νομούς* appellabant. cf. Epiphanius lib. I. in Haeresi Basilidis: *νομὰν γὰρ οἱ Αἰγύπτιοί φασι τῆς ἑκάστης πόλεως περιοικίδα ἤτοι περίχωραν.*

dicentem, si alteri dedisset, ipsum non habiturum esse. Ad difficultates autem, in quas supra incurrimus, plane infringendas aegre caremus ejusdem autoris testimonio de tempore, quo Demetrius, quum gratia regis excidisset, procul a regia et Alexandria urbe in exsilium missus est. Id quidem constat, eum post mortem Ptolemaei Lagi a Philadelpho filio in exsilium actum in custodia fato functum esse, neque vero verbis *μετὰ τὴν ἐκείνου τελευτήν* adducimur, ut eum statim post illius mortem, sed potius, christianorum scriptorum fidem secuti, compluribus annis interjectis, in hanc calamitatem incidisse credamus. Demetrium a Ptolemaeo in gratiam receptum ex exsilio in regiam rediisse nusquam legimus. Vita aliquamdiu in exsilio maeste transacta, violenta morte eum periisse tradit Diogenes Laërtius l. l., neque a veri specie abhorret, quum hujus vitae eum taederet, aspide ad corpus admota, voluntariam mortem ei obtigisse, id quod Cicero innuere videtur in oratione pro Rabirio c. 9. „Video Demetrium et ex republica Atheniensium, quam optime digesserat, et ex doctrina nobilem et clarum, qui Phalereus vocitatus est, in eodem isto Aegypti regno aspide ad corpus admota vita esse privatum.“

Haec fere sunt, quæ, veterum scriptorum locis inter se collatis, de Demetrii Phalerei vita et rebus gestis dici possunt.

Cap. X.
De Demetrio oratore agitur.

Demetrius Phalereus, quem praeter eximias ingenii dotes summum discendi ardorem attulisse scimus, a Theophrasto, eruditissimo sui temporis philosopho, institutus cum philosophiae tum eloquentiae studiis, ut varia multiplicique rerum doctrina ingenium excoleret, atque eruditissimus sui temporis oratorum et esset et haberetur, eloquentiae et philosophiae studiis cum administrandae civitatis arte conjunctis, tanquam unicum inter Graecos exemplum praeter ceteros excelluit. „Nam neminem video, inquit Cicero,[1]) Graecorum adhuc contigisse, ut idem utroque in genere elaboraret sequereturque et illud forense dicendi et hoc quietum disputandi genus: nisi forte Demetrius Phalereus in hoc numero haberi potest, disputator subtilis, orator parum vehemens, dulcis tamen, ut Theophrasti discipulum possis agnoscere.“[2]) Summis igitur laudibus a veteribus celebratur Demetrii Phalerei eloquentia, quae qualis fuerit, quum ex ipsius Demetrii scriptis, utpote quae ad unum omnia perierint, cognoscere non liceat, in solis veterum testimoniis, inprimis Ciceronis, locupletissimi hac in re auctoris, cui ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur (Brut. c. 82), acquiescendum erit. Duobus potissimum locis Cicero

[1]) de off. I. 1.

[2]) cf. comment. meae part. I. p. 12—17., ubi agitur de Demetrii institutione et doctrina.

Demetrium oratorem describit. Altero loco,[1]) summis Atheniensium oratoribus descriptis, eloquentiae Demetrii imaginem ita effingit: „Posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demostheni: tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum, mea sententia, politissimus, aliique eorum similes exstiterunt.“ Altero[2]) loco dicit: „Phalereus successit iis senibus adolescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra. Itaque delectabat magis Athenienses quam inflammabat. Processerat enim in solem et pulverem, non ut a militari tabernaculo, sed ut e Theophrasti, doctissimi hominis, umbraculis. Hic primus inflexit orationem et eam mollem teneramque reddidit, et suavis, sicut fuit, videri maluit quam gravis; sed suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perstringeret: tantum ut memoriam concinnitatis suae non, quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis, cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.“[3]) Quod judicium de Demetrio a Cicerone factum comprobatur Quintiliano Inst. orat. X, 1. 80. „Quin etiam Phalerea illum Demetrium, quamquam is primus inclinasse eloquentiam dicitur, multum ingenii habuisse et facundiae fateor, vel ob hoc memoria dignum, quod ultimus est fere ex Atticis, qui dici possit orator: quem tamen in illo medio genere dicendi praefert omnibus Cicero.“[4]). Inst. orat. X. 1. 33. „Dum in his, de quibus erit quaestio, meminerimus non athletarum toros, sed militum lacertos esse, nec versicolorem illam[5]), qua Demetrius Phalereus dicebatur uti, vestem bene ad forensem pulverem facere.“ Jam ex his Ciceronis, subtilissimi et acerrimi in hac re judicis, et Quintiliani testimoniis, qui Demetrium, cujus aetas in ea tempora incidit, quae non solum summos oratores jam viderant, sed etiam, libertate sublata, iniqua

[1]) Cic. de orat. II. 23.

[2]) Cic. Brut. cap. 9.

[3]) Aliter de Demetrii stilo judicat Diogenes Laërt. V. 5. 82. *χαρακτὴρ δὲ φιλόσοφος, εὐτονίᾳ ῥητορικῇ καὶ δυνάμει κεκραμένος.*

[4]) cf. Cic. in Orat. c. 27. „Hoc in genere, nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum copiosumque, summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos: sed Phalereus Demetrius meo judicio praestitit ceteris; cujus oratio cum sedate placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, tralata verba atque immutata.“

[5]) Cic. in Bruto c. 9. „Haec enim aetas (Hyperidis, Aeschinis, Lycurgi, Dinarchi, Demadis) effudit hanc copiam; et, ut opinio mea fert, succus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor. Phalereus enim successit iis senibus adolescens etc.“

erant eloquentiae, non indignum judicant, quem summis Graecorum oratoribus comparent, quanta in illo fuerit eloquentia, satis intelligi potest. Unde autem factum sit, ut Demetrius tam amplum inter Atticos oratores locum obtinuerit, jam in priore commentationis meae parte [cap. II.], ubi de Demetrii institutione ac doctrina agitur, accuratius explicatum est. Demetrium inter veros et antiquos Atticos[1]) numerandum esse, indicat Cicero in Bruto c. 82. „In quo etiam illud quaero, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit. Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias; natura quaedam aut voluntas ita dicendi fuit.“ Eundem medium vel temperatum dicendi genus[2]) coluisse, Cicero dicit in Orat. c. 26. 27. (§. 91—96.): „Uberius est aliud aliquantoque robustius, quam hoc humile, de quo dictum est; summissius autem, quam illud, de quo jam dicetur, amplissimum. Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum. Est enim plenius, quam hoc enucleatum: quam autem illud ornatum copiosumque summissius. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque est in hac orationis forma suavitatis. In qua multi floruerunt apud Graecos: sed Phalereus Demetrius meo judicio praestitit ceteris; cujus oratio cum sedate placideque loquitur, tum illustrant eam, quasi stellae quaedam, tralata verba atque immutata. Tralata ea dico, ut saepe jam, quae per similitudinem ab alia re aut suavitatis aut inopiae causa transferuntur. Mutata, in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significat, sumtum ex re aliqua consequenti. — Hanc hypallagen rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: metonymiam grammatici vocant, quod nomina transferuntur. Aristoteles autem translationi haec ipsa subjungit et abusionem, quam *κατάχρησιν* vocant: ut, cum minutum dicimus animum pro parvo et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet. Jam cum fluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant *ἀλληγορίαν,* nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat. Haec frequentat Phalereus maxime suntque dulcissima: et quamquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores. In idem genus orationis (loquor enim de illa modica ac temperata) verborum

[1]) Eloquentiam in tria illa genera, Atticum, Rhodium, Asianum rhetores partiuntur. Cic. in Bruto c. 13. „Nam ut semel e Piræo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanctitatem perderet, ac loqui pæne dedisceret. Hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi et nimis redundantes. Rhodii saniores et Atticorum similiores.“ cf. Quintil. XII, 10. „Asianorum quidem oratorum princeps, idemque primus Atticae eloquentiae corruptor fuit Hegesias Magnes. cf. Cic. Tusc. I. 34.

[2]) Tria distinguuntur dicendi genera, grande vel grave, tenue vel subtile et medium vel temperatum.

cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum: latae eruditaeqae disputationes ab eodem explicantur, et loci communes sine contentione dicuntur. Est enim quoddam etiam insigne et florens orationis, pictum et expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes sententiarum illigantur lepores. Hoc totum e sophistarum fontibus defluxit in forum, sed spretum a subtilibus, repulsum a gravibus, in ea, de qua loquor, mediocritate consedit.“ His et aliis Ciceronis locis supra prolatis, ex quibus Demetrium, cujus dicendi genus mollius ac remissius esset, delectasse magis Athenienses quam inflammasse, orationem mollem teneramque reddidisse, oratorem parum vehementem, dulcem tamen, floridiorem Hyperide et Lysia fuisse vidimus, Demetrii eloquentia ejusque dicendi genus satis describitur. Sed de eloquentia Demetrii accuratius disserere non opus esse existimo, neque exponere lubet, quo loco inter priorem et posteriorem eloquentiam Atticam Demetrius dignandus sit, qualis ipse appareat cum ceteris comparatus, quum de Demetrio oratore, de genere ejus dicendi, cum Atticis et prioris et posterioris temporis oratoribus comparato, in multis libris, qui eloquentiae Graecorum historiam tractant, fusius disputatum sit.[1])

[1]) cf. Westermann Geschichte der Beredtsamkeit in Griechenland und Rom Th. I. p. 160. „Nicht minder geachtet (wie als Schriftsteller philosophischen, politischen und wissenschaftlichen Inhalts) war Demetrius Phalereus als Redner. Er gilt insgemein für denjenigen, mit welchem die attische Beredtsamkeit zu sinken begann, und in der That vermisste man bei ihm den erhabenen Schwung des Demosthenes; der Charakter seiner Rede war sanft, weichlich, einschmeichelnd, sein Ausdruck elegant, anmuthig, blühend; aber dennoch hielt er noch das richtige Mittel zwischen dem Zuviel und Zuwenig — kurz er ist der letzte, welcher den Namen eines attischen Redners verdient.“ Vir ille doctus non plane idem, quod Cicero et Quintilianus, de Demetrio oratore sensisse neque, judiciis quidem eorum adhibitis, scriptorum cogitationem satis assecutus eorumque voluntatem interpretatus esse videtur. Demetrius quidem primus inclinasse eloquentiam a Quintiliano (X. I. 80.), primus inflexisse orationem et eam mollem teneramque reddidisse a Cicerone (in Brut. c. 9.) dicitur, quum is non versatus, ut ait Cicero, in veritatis imitandae genere pro temporum illorum ratione primus a veritate priorum oratorum recederet; non autem ipsum primum inclinatae eloquentiae oratorem vel habendum vel nominandum esse censeo. cf. Cicero de oratore II, 23. „Et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus aliique complures, et si inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitandae genere versati, quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit; posteaquam exstinctis his omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi et molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem ajunt sororis filium fuisse Demostheni, tum Phalereus iste Demetrius omnium istorum mea sententia politissimus aliique eorum similes exstiterunt.“ Eloquentiam Atticam, postquam in Demosthene ad summum fastigium pervenerit, paulatim inclinari coeptam esse inter omnes constat, neque quisquam dixerit, Demetrium Phalereum Demostheni, ad quem eloquentiae Atticae palma in omni dicendi genere cunctis suffragiis referatur, in dicendi sublimitate atque in vi

Cap. XI.

De Demetrii scriptis.

Demetrium Phalereum scriptorum multitudine insignem fuisse, testis est Diogenes Laërtius in Demetrii vita V. 5. 80. πλήθει δὲ βιβλίων καὶ ἀριθμῷ στίχων σχεδὸν ἅπαντας παρελήλακε τοὺς κατ' αὐτὸν Περιπατητικοὺς εὐπαίδευτος ὢν καὶ πολύπειρος παρ' ὁντινοῦν. **Suidas s. v.** Δημήτριος. συνέγραψε δὲ συχνὰ βιβλία. **Grammaticorum probatissimum eum nominat Tertullianus in Apologetico c. 18. Neque Ciceronis, subtilissimi et acerrimi de Demetrio oratore judicis, testimoniis caremus, qui Demetrium Phalereum eruditissimum sui temporis virum (de leg. II. 26.), doctrinae studiis et regenda civitate principem (de leg. III. 6.), doctum virum Phalereum (de rep. II. 1.), ex doctrina nobilem et clarum (pro Rabir. c. 9.), disputatorem subtilem (de offic. I. 1.), multa praeclara in illo calamitoso otio (de fin. V. 19) scripsisse tradit[1]). Ex eodem Ciceronis loco, qui tam honorifice de Demetrii scriptis judicat, plerosque libros eum, a publicis negotiis, quibus in patria urbe per decem annos functus erat, remotum in Aegypto, quod illud calamitosum otium dicit Cicero, scripsisse cognoscere licet. — Varii generis scripta ejus fuisse, historica, politica, rhetorica, grammatica, alia, Diogenes Laërtius[2]) docet, qui indicem librorum, quamquam mancum et vitiosum,[3]) litteris custodivit. Idem docet**

orationis parem fuisse vel eum, qui cum summo omnium temporum oratore in hac re comparari possit. Sed fracta populi libertate, ipsa quoque eloquentia concidit, libertatis socia et alumna. Hinc etiam dicit Quintilianus (II. 4. 41.), fictas ad imitationem fori consiliorumqua materias apud Graecos dicere circa Demetrium Phalereum institutum esse. Illas autem suasoriarum (generis deliberativi) et controversiarum (generis judicialis) exercitationes, quas a veritate vitae aberrantes, verborum compositione rebus non accommodata, ad eloquentiam corrumpendam multum valuisse constat, jam a Demetrio ipso ad juvenes in dicendo erudiendos institutas esse, non est, quod ex hoc Quintiliani loco concludamus. Quae quum ita sint, Demetrium Phalereum, quamquam ab Alexandrinis grammaticis in optimorum scriptorum numerum non redactum, pro rerum quidem ac temporum commutatione forma quoque et indole eloquentiae, qualis fuerit inprimis Demosthenis, aliqua ex parte mutata, summo jure inter vere Atticos oratores referendum esse dicere non vereor. — Quibus autem veterum scriptorum testimoniis nisus Bernhardi in hist. lit. graec. I. p. 378. Demetrium neque ultimum Atticorum oratorem, neque omnino oratorem habendum esse contendere sit ausus, equidem non intelligo.

[1]) De fin. V. 19. „Princeps hujus civitatis Phalereus Demetrius, quum patria pulsus esset injuria, ad Ptolemaeum se regem Alexandriam contulit. Qui quum in hac ipsa philosophia, ad quam te hortamur, excelleret Theophrastique esset auditor, multa praeclara in illo calamitoso otio scripsit, non ad usum aliquem suum, quo erat orbatus, sed animi cultus ille erat ei quasi quidam humanitatis cibus."

[2]) V. 5. 80. ὧν ἐστι τὰ μὲν ἱστορικά, τὰ δὲ πολιτικά, τὰ δὲ περὶ ποιητῶν, τὰ δὲ ῥητορικά, δημηγοριῶν τε καὶ πρεσβειῶν, ἀλλὰ μὴν καὶ λόγων Αἰσωπείων συναγωγαὶ καὶ ἄλλα πλείω.

[3]) Bis commemoratur liber περὶ νόμων; liber, qui inscriptus est ἀρχόντων ἀναγραφή, aliis locis a Diogene laudatus, in indice deest. cf. Buhle de libris Arist. deperditis in comment. societ. Gotting. XV. p. 57.

Suidas s. v. *Δημήτριος. γέγραφε φιλόσοφά τε καὶ ἱστορικὰ καὶ ῥητορικὰ καὶ πολιτικὰ καὶ περὶ ποιητῶν.* **In ipso indice librorum a Diogene asservato, cujus ordo nullus cernitur, quadraginta quinque scripta continentur,[1]) quorum ex titulis Demetrium easdem res, quibus Theophrastus et Aristoteles operam dederint, tractavisse intelligi potest.**

Jam vero in fragmentis Demetrii scriptorum ex veterum locis colligendis divisionem generum, qualem Diogenes et Suidas observarunt, secuti, quatuor vel quinque genera discernenda esse volumus: opera philosophica, scripta, quae historiam et antiquitates spectant, scripta, quae reipublicae gerendae prudentiam pertinent, rhetorica, grammatica; quorum reliquiis collectis reliquorum scriptorum fragmenta subjungere in animo est.

Duo scripta, quae Demetrii nomine falso feruntur, breviter tantum hoc loco attingam. Stephanus Byzantius s. v. *κορώπη* **Demetrium Phalereum commentarios in Nicandrum composuisse narrat, quod aut mendum scripturae aut error Stephani est; nam Nicander ille circa annum 150 a. Chr., Demetrio dudum mortuo, vixit, quare Demetrium Chlorum a Stephano intelligi viri docti conjecerunt.[2]) Alterum opusculum, quod etiamnunc integrum exstat, cujus auctorem vulgo Demetrium Phalereum edunt, et sententiarum subtilitate et judicii acumine et exemplorum delectu haud improbandum, est libellus ille, qui inscriptus est** *περὶ ἑρμηνείας* **sive de elocutione, quem quum multis de causis tum propter temporum ordinem, mirum in modum laesum, inferiori assignandum esse aetati demonstrarunt critici,[3]) Demetrium potius Alexandrinum suspicati, sub M. Aurelii principatu sophistam.**

[1]) V. 5. 80. 81. *Ἔστι δὲ τὰ περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας α' β' γ' δ' ε', περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτῶν α' β', περὶ δημαγωγίας α' β', περὶ πολιτικῆς α' β', περὶ νόμων α', περὶ ῥητορικῆς α' β', Στρατηγικῶν α', β', περὶ Ἰλιάδος α' β', περὶ Ὀδυσσείας α' β' γ' δ', Πτολεμαῖος α', Ἐρωτικός α', Φαιδώνδας α', Μαίδων α', Κλέων α', Σωκράτης α', Ἀρταξέρξης α', Ὁμηρικός α', Ἀριστείδης α', Ἀριστόμαχος α', Προτρεπτικός α', ὑπὲρ τῆς πολιτείας α', περὶ τῆς δεκαετίας α', περὶ τῶν Ἰώνων α', Πρεσβευτικός α', περὶ πίστεως α', περὶ χάριτος α', περὶ τύχης α', περὶ μεγαλοψυχίας α', περὶ γάμου α', περὶ τοῦ δόκου α', περὶ εἰρήνης α', περὶ νόμων α', περὶ ἐπιτηδευμάτων α', περὶ καιροῦ α', Διονύσιος α', Χαλκιδικός α', Ἀθηναίων καταδρομή α', περὶ Ἀντιφάνους α', Προοίμιον ἱστορικόν α', Ἐπιστολαί α', Ἐκκλησία ἔνορκος α', περὶ γήρως α', Δίκαια α', Αἰσωπείων α', Χρειῶν α'.*

[2]) cf. Fabric. biblioth. graec. IV. p. 346.

[3]) cf. Schœll Gesch. der griech. Liter. B. II. p. 148. Discrepant judicia doctorum virorum de hujus libri auctore. Alii enim, ut Vossius, Muretus, Gale et Schneider appellant illum Demetrium Alexandrinum, tempore Marci Antonini imperatoris viventem: alii vero Dionysium Halicarnasseum: alii Demetrium Ixion quendam. Sed nihil constat. Attamen hoc dici potest, nec illorum commemoratorum unum, nec Demetrium Phalereum esse auctorem, sed Demetrium quendam, qui illorum tempore vixit. cf. de hac re Jacq. Matter in essai historique sur l'école d'Alexandrie. (Paris. 1820, 8.) vol. I. p 284 sq. Westermann Geschichte der Beredtsamkeit § 95. Walz. in rhet. Graec. vol. IX. proleg. p. III.—VII.

I. Opera philosophica.

Ad philosophicorum operum classem, quod quidem ex librorum titulis colligi possit, haec pertinent:

1. *Ἐρωτικός*, de amore sive de rebus amatoriis.[1])
2. *Πτολεμαῖος*. Ptolemaeum, Lagi filium, dictum esse verisimile est. Hunc librum eosque, qui sequuntur, septem dialogos philosophicos fuisse aliorum librorum, qui adhuc exstant, indices indicare videntur, quamquam et hunc et alios, ut Artaxerxem, Dionysium, vitas illorum virorum libris inscriptorum continuisse suspicari licet.
3. *Φαιδώνδας*. , Phaedondas Thebanus, non Cyrenaeus, (cf. Ruhnken. ad Xenoph. Mem. I. 2. 48.) Socratis fuit discipulus, quem Plato in Phaed. c. III. cum Socrate de animorum immortalitate colloquentem fecit.
4. *Μαίδων*. Quis fuerit, ignoramus.
5. *Κλέων*. Cleonis libidini Demetrium serviisse tradit Diog. Laërt. V. 5. 76., quare hunc librum sive dialogum de libidine conscriptum esse conjicio; nam Cleonem illum concitatorem vulgi dictum esse non est, quod conjectemus.
6. *Ἀρταξέρξης*. Quis intelligendus sit, dubium est.
7. *Ἀριστείδης*, Aristides sive de justitia. Hunc librum vitam Aristidis continuisse non est verisimile, quod ii scriptores, qui res ad Aristidis vitam pertinentes Demetrio Phalereo auctore tradiderunt, eas ex Demetrii libro, qui Socrates inscriptus est, se hausisse profitentur.
8. *Ἀριστόμαχος*, Diog. Laërt. V. 4. 70. Aristomachum quendam in Lyconis amicorum numerum refert; aequalis igitur fuit Demetrii; num vero ex eo dialogus nomen ceperit, cognosci non potest.
9. *Διονύσιος*, Dionysius sive de luxuria.
10. *Σωκράτης*. Idem est liber, qui a Diogene Laërtio IX. 1. 10. IX. 7. 5. IX. 9. 1. *Σωκράτους ἀπολογία* inscriptus citatur, quare de argumento hujus libri dubii esse non possumus. cf. Jonsius de scriptoribus historiae philosophicae I. 18. Hujus libri nonnulla fragmenta reperiuntur.

Fragm. I.
Diog. Laërt. IX. 7. 5.

Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ μηδὲ ἐλθεῖν φησιν αὐτὸν (Democritum) *εἰς Ἀθήνας.*

[1]) Theophrastum quoque, quo praeceptore Demetrium usum esse constat, librum, *Ἐρωτικόν* inscriptum, confecisse, videmus ex Diogene Laërtio V. 2. 43, qui Theophrasti scriptorum indicem memoriæ prodidit.

Fragm. II.

Diog. Laërt. IX. 9. 1.

Τοῦτόν (**Diogenem Appolloniatem physicum**) *φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῇ Σωκράτους ἀπολογίᾳ διὰ μέγαν φθόνον μικροῦ κινδυνεῦσαι Ἀθήνησιν.*

Fragm. III.

Plutarch. Aristid. c. I. (II. 478. R.)

Πρὸς δὲ τοῦτον τὸν λόγον (**Aristidem in paupertate decessisse, duas filias relinquentem tam pauperes, ut diu collocari non possent**) *ὑπὸ πολλῶν εἰρημένον ἀντιτασσόμενος ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἐν τῷ Σωκράτει χωρίον τε Φαληροῖ φησὶ γινώσκειν Ἀριστείδου λεγόμενον, ἐν ᾧ τέθαπται, καὶ τεκμήρια τῆς περὶ τὸν οἶκον εὐπορίας ἓν μὲν ἡγεῖται τὴν ἐπώνυμον ἀρχήν, ἣν ἦρξε τῷ κυάμῳ λαχὼν ἐκ τῶν γενῶν τῶν τὰ μέγιστα τιμήματα κεκτημένων, οὓς Πεντακοσιομεδίμνους προσηγόρευον, ἕτερον δὲ τὸν ἐξοστρακισμόν· οὐδενὶ γὰρ τῶν πενήτων, ἀλλὰ τοῖς ἐξ οἴκων μεγάλων καὶ δι' ὄγκον ἐπιφθόνων ὄστρακον ἐπιφέρεσθαι· τρίτον δὲ καὶ τελευταῖον, ὅτι νίκης ἀναθήματα χορηγικοὺς τρίποδας ἐν Διονύσου κατέλιπεν, οἳ καὶ καθ' ἡμᾶς ἐδείκνυντο τοιαύτην ἐπιγραφὴν διασώζοντες „Ἀντιοχὶς ἐνίκα, Ἀριστείδης ἐχορήγει, Ἀρχέστρατος ἐδίδασκε."*

Fragm. IV.

Plutarch. Aristid. c. I. in fine. (II. 480. R.)

Ἀλλὰ γὰρ ὁ μὲν Δημήτριος οὐ μόνον Ἀριστείδην, ἀλλὰ καὶ Σωκράτην δῆλός ἐστι τῆς πενίας ἐξολέσθαι φιλοτιμούμενος ὡς μεγάλου κακοῦ· καὶ γὰρ ἐκείνῳ φησὶν οὐ μόνον τὴν οἰκίαν ὑπάρχειν, ἀλλὰ καὶ μνᾶς ἑβδομήκοντα τοκιζομένας ὑπὸ Κρίτωνος.

Fragm. V.

Plutarch. Aristid. c. XXVII. (II. 542. R.)[1])

Ὁ δὲ Φαληρεὺς ἐν τῷ Σωκράτει φησὶ μνημονεύειν Ἀριστείδου θυγατριδοῦν εὖ μάλα πένητα Λυσίμαχον, ὃς ἑαυτὸν ἐκ πινακίου τινὸς ὀνειροκριτικοῦ παρὰ

[1]) **Ex eodem Demetrii libro Plutarchus ea hausisse videtur, quae praemittuntur, neque vero ipsa Demetrii verba attulisse, red memoriter narrasse, quare librum non designat et alios ejusdem rei auctores**

τὸ Ἰακχεῖον λεγόμενον καθεζόμενος ἔβοσκε. Τῇ δὲ μητρὶ καὶ τῇ ταύτης ἀδελφῇ ψήφισμα γράψας δωρεὰν ἔπεισε τὸν δῆμον διδόναι τριώβολον ἑκάστης ἡμέρας.[1])

11. *Προτρεπτικός*,[2]) **exhortatio.**

Fragm. VI.[3])

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Τοὺς νέους ἔφη δεῖν ἐπὶ μὲν τῆς οἰκίας τοὺς γονεῖς αἰδεῖσθαι, ἐν δὲ ταῖς ὁδοῖς τοὺς ἀπαντῶντας, ἐν δὲ ταῖς ἐρημίαις ἑαυτούς.

Fragm. VII.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἰδὼν ποτε νεανίσκον ἄσωτον, Ἰδού, ἔφη, τετράγωνος Ἑρμῆς ἔχων σύρμα, κοιλίαν, αἰδοῖον, πώγωνα.

Fragm. VIII.

Diog. Laërt. V. 5. 83.

Τοὺς φίλους ἐπὶ μὲν τὰ ἀγαθὰ παρακαλουμένους ἀπιέναι, ἐπὶ δὲ τὰς συμφορὰς αὐτομάτους ἀπιέναι.

Fragm. IX.

Stob. serm. 8. 20.

Αὐτικὰ γὰρ εἰ τῷ πολεμοῦντι καὶ παρατεταγμένῳ παρασταῖεν ἥ τε ἀνδρία καὶ ἡ δειλία, πόσον ἂν οἴεσθε διαφόρους εἰπεῖν λόγους; ἆρ' οὐχ

nominat. *Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς καὶ Ἱερώνυμος ὁ Ῥόδιος καὶ Ἀριστόξενος ὁ μουσικὸς καὶ Ἀριστοτέλης (εἰ δὴ τὸ περὶ εὐγενείας βιβλίον ἐν τοῖς γνησίοις Ἀριστοτέλους θετέον) ἱστοροῦσι Μυρτὼ θυγατριδῆν Ἀριστείδου Σωκράτει τῷ σοφῷ συνοικῆσαι, γυναῖκα μὲν ἑτέραν ἔχοντι, ταύτην δ' ἀναλαβόντι χηρεύουσαν διὰ πενίαν καὶ τῶν ἀναγκαίων ἐνδεομένην. Πρὸς μὲν οὖν τούτους ἱκανῶς ὁ Παναίτιος ἐν τοῖς περὶ Σωκράτους ἀντείρηκεν.* Hunc locum sequitur fragmentum. — Socratem duas habuisse uxores, Xanthippen et Myrto, Aristidis filiam, Demetrium Phalereum prodidisse dicit Athenaeus XIII. p. 556. a: *ἐκ τούτων οὖν τις ὁρμώμενος μέμψαιτ' ἂν τοὺς περιτιθέντας Σωκράτει δύο γαμετὰς γυναῖκας, Ξανθίππην καὶ τὴν τοῦ Ἀριστείδου Μυρτώ, οὐ τοῦ δικαίου καλουμένου, οἱ χρόνοι γὰρ οὐ συγχωροῦσιν, ἀλλὰ τοῦ τρίτου ἀπ' ἐκείνου· εἰσὶ δὲ Καλλισθένης, Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, Σάτυρος ὁ περιπατητικός, Ἀριστόξενος.*

[1]) *Αὐτὸς μέντοι*, pergit Plutarchus, *ὁ Δημήτριος νομοθετῶν ἐψηφίσατο δραχμὴν ἑκατέρᾳ τάξαι τῶν γυναικῶν.*

[2]) De Theophrasti libro, qui inscriptus est *προτρεπτικός*, cf. Diog. L. V. 2. 49.

[3]) Hoc fragmentum et quae sequuntur tria, quod quidem ex argumento colligi possit, ad hunc librum, qui inscriptus est *προτρεπτικός*, referenda esso videntur, quamquam scriptores, ex quo Demetrii libro excerpserint, non ascripserunt.

ἡ μὲν ἀνδρία μένειν κελεύοι καὶ τὴν τάξιν διαφυλάττειν; Ἀλλὰ βάλλουσιν· ὑπόμενε. Ἀλλὰ τρωθήσομαι· καρτέρει. Ἀλλ' ἀποθανοῦμαι· ἀπόθανε μᾶλλον ἢ λίπῃς τὴν τάξιν. Ἀτενὴς οὗτος ὁ λόγος καὶ σκληρὸς, ἀλλ' ὁ τῆς δειλίας νὴ Δία φιλάνθρωπος καὶ μαλακὸς, ὑπάγειν γὰρ δῆτα κελεύει τὸν φοβούμενον. Ἀλλ' ἡ ἀσπὶς ἐνοχλεῖ· ῥῖψον. Ἀλλὰ καὶ ὁ θώραξ· παράλυσον. Παντὶ δήπου πραΰτερα ταῦτ' ἐκείνων. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Μὴ λάβῃς, φησὶν ἡ ἐγκράτεια, ὅθεν οὐ δεῖ, μὴ φάγῃς, μὴ πίῃς, ἀνέχου, καρτέρει. τὸ τελευταῖον ἀπόθανε πρότερον ἢ πράξῃς ὅπερ οὐ δεῖ. Ἡ δ' ἀκρασία· πῖθι ὅτε βούλει, φάγε ὅ, τι ἂν ἥδιστα φάγοις· ἡ τοῦ γείτονος ἀρέσκει σοι γυνή; πέραινε· χρημάτων ἀπορεῖς; δάνεισαι. Δανεισάμενος ἀδυναμεῖς; μὴ ἀποδῷς· οὐ πιστεύουσιν ἔτι δανείζειν; ἅρπασον. Πολύ γε κἀνταῦθα τὸ μεταξύ. Ἀλλὰ τίς οὐκ οἶδεν, ὅτι ἡ μὲν τοιαύτη χάρις ὀλέθριος γίνεται τοῖς προςδεξαμένοις, ἡ δ' ἐκ τῶν ἐναντίων σωτήριος;

Fragm. X.
Stob. florileg. 12. 18.

Δημήτριος ἐρωτηθεὶς, τί φαῦλον τοῖς ψευδομένοις παρακολουθεῖ, εἶπε. Τὸ μηδ' ἂν τἀληθῆ λέγωσιν ἔτι πιςτεύεσθαι.

Fragm. XI.
Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἔλεγε μὴ μικρὸν εἶναι μέρος τὰς ὀφρῦς· ὅλῳ γὰρ ἐπισκοτῆσαι δύνασθαι τῷ βίῳ.

12. περὶ πίστεως, **de fide.**
13. περὶ χάριτος, **de gratia.**[1])
14. περὶ τύχης, **de fortuna.**[2])

[1]) De Theophrasti libro περὶ χάριτος cf. Diog. l. l.

[2]) Theophrasti magistri sententiam, cui plane addictum eum fuisse supra (comm. P. I. p. 15) demonstravimus, ut non solum in oratione ac dicendi genere, sed in multis aliis quoque rebus Theophrasti discipulum possis agnoscere (Cic. de leg. III. 36.), mira sua vitae vicissitudine motus, secutus esse videtur. Theophrastus autem, cujus liber de vita beata saepius citatur a Cicerone (de fin. V. 4. 10. 11. 12. 28. 85. Orat. 19.), cum fortuna adversa, cum dolore cruciatuque corporis conjungi beatam vitam nullo modo posse contendit, idemque vexatur et libris et scholis omnium philosophorum, quod in Callisthene suo laudarit illam sententiam: vitám regit fortúna, non sapiéntia (Cic. in Tusc. disput. V. 9.)

Fragm. XII.

Diog. Laërt. V. 5. 82.

Οὐ μόνον τὸν πλοῦτον ἔφη τυφλὸν, ἀλλὰ καὶ τὴν ὁδηγοῦσαν αὐτὸν τύχην.

Fragm. XIII.

Plutarch. consol. ad Apollon. p. 394. R. (103. 52.)

Ὅθεν ὀρθῶς ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἔφη[1]). *Τὰ μὲν ἄλλα καλῶς λέγειν αὐτόν· βέλτιον δ' ἂν εἶχεν ἄν, εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου.*

Fragm. XIV.

Polybii excerpt. lib. XXX. c. 3. in A. Mai script. vett. nova collect. (§. 397.) vol. II. pag. 434. 435.[2])

Εἰ γὰρ λάβοι τις μὴ χρόνον ἄπειρον μηδὲ γενεὰς πολλὰς, ἀλλὰ πεντήκοντα μόνον ἔτη ταῦτα πρὸ ἡμῶν, γνοίη τ' ἂν, ὡς τὸ τῆς τύχης χαλεπὸν ἐνταῦθα·

Hic senarius scriptus est apud Plutarchum περὶ τύχης p. 97. et apud Stobaeum in eclog. physic. p. 14. his verbis: τύχη τὰ θνητῶν πράγματ' οὐκ εὐβουλία. Theophrastus igitur peripateticus in hac re non consentiebat cum sententia scholae ejusque principis, qui, ut Academici, externa bona eaque corporis esse συμπληρωτικὰ τῆς κατὰ φύσιν τελειότητος, sed beatam vitam sine istis consistere posse dicebat.

[1]) Demetrium hoc dixisse Plutarchus offert, respicientem hos versus Euripidis:

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος.
ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα
τὰ μὲν καθεῖλον ὕψοθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.

Plutarchum hunc locum ex Demetrii libro, qui inscriptus est περὶ τύχης, sumsisse ex hac ipsa sententia satis apparet.

[2]) Ὥστε πολλάκις καὶ λίαν μνημονεύειν τοῦ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως φωνῆς· ἐκεῖνος γὰρ ἐν τῷ περὶ τῆς τύχης ὑπομνήματι βουλόμενος ἐναργῶς ἀποδεικνύναι τοῖς ἀνθρώποις τὸ ταύτης εὐμετάβολον, ἐπιστὰς ἐπὶ τοὺς κατ' Ἀλέξανδρον καιροὺς, ὅτε κατέλυσε τὴν Περσῶν ἀρχὴν, λέγει ταῦτα. Jam sequuntur Demetrii verba. — A Demetrio Phalereo scriptum fuisse de fortuna librum, prius unicus testis erat Diogenes Laërtius in Demetrii vita. Nunc praeclarum deperditi operis fragmentum invenimus et quidem bis scriptum cum varietate quadam apud Polybium et apud Diodornm. Sine dubio autem Diodorus non ex metrio ipso, sed ex Polybio locum hausit et, nonnullis variatis, in historiam suam exscripsit, quamquam lectionis varietas nos prope ambiguos reddere potest. Et archetypum igitur et exemplar ejus uno tempore eodemque in codice deprehendimus. Ex ejusdem fragmenti verbis πεντηκοστὸν γὰρ ἔτος κτλ., quibus respicit annum, quo Alexander in Asiam sit profectus Ol. 111. 3., collatis Polybii verbis ἐπιστὰς ἐπὶ τοὺς κατ' Ἀλέξανδρον καιροὺς, ὅτε κατέλυσε τὴν Περσῶν ἀρχήν cognoscimus, librum a Demetrio scriptum fuisse primis Ptolemaei Philadelphi regnantis annis, id quod sententiam meam de exsilii tempore supra prolatam certis argumentis probat atque confirmat.

πεντηκοστὸν γὰρ ἔτος οἴεσθ' ἂν ἢ Πέρσας ἢ βασιλέας τῶν Περσῶν, ἢ Μακεδόνας ἢ βασιλέας τῶν Μακεδόνων, εἴ τις θεῶν αὐτοῖς προὔλεγε τὸ μέλλον, πιστεῦσαί ποτ' ἄν, ὡς εἰς τοῦτον τὸν καιρὸν Περσῶν οὐδ' ὄνομα λειφθήσεται τὸ παράπαν, οἳ πάσης τῆς οἰκουμένης ἐδέσποζον, Μακεδόνες δὲ πάσης κρατήσουσιν, ὧν οὐδ' ὄνομα πρότερον ἦν; ἀλλὰ πῶς ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀσύνθετος τύχη καὶ πάντα παρὰ λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα, καὶ τῆς αὐτῆς δύναμιν ἐν τοῖς παραδόξοις ἐνδεικνυμένη, καὶ νῦν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, δείκνυσι πᾶσιν ἀνθρώποις, Μακεδόνας εἰς τὴν Περσῶν εὐδαιμονίαν εἰςοικίσασα· διότι καὶ τούτοις ταῦτα τἀγαθὰ κέχρηκεν, ἕως ἄλλο τι βουλεύσηται περὶ αὐτῶν (ὃ νῦν γέγονε καὶ Περσέα).[1])

Idem fragmentum iisdem fere verbis cum lectionis quadam varietate deprehendimus apud Diodorum, quem ex Polybii codice non depravato, quum is, qui Polybium excerpsit, depravato usus esse videatur, exscripsisse verisimile est; nam Polybium Demetrii verba depravasse cogitari non potest. Quamvis Diodori verba aliquantulum a Polybii verbis recedant, haud inutilem tamen operam me suscepturum esse existimavi, si eundem locum ex Diodoro transcriberem, quum praesertim is meliorem textum exhiberet.

Diodor. excerpt. Vatic. in A. Maï script. vett. nova collect. p 81.[2])

Εἰ γὰρ λάβοις πρὸ τῆς ἐννοίας μὴ χρόνον ἄπειρον μηδὲ γενεὰς πολλάς, ἀλλὰ πεντήκοντα μόνον ἔτη ταυτὶ τὰ πρὸ ἡμῶν, γνοίης ἄν, ὡς τὸ τῆς τύχης χαλεπὸν ἐνταῦθα· πεντηκοστῷ γὰρ ἔτει πρότερον οἶσθα μὴ Πέρσας ἢ βασιλέα τῶν Περσῶν ἢ Μακεδόνας ἢ βασιλέα τῶν Μακεδόνων, εἴ τις θεῶν αὐτοῖς προὔλεγε τὸ μέλλον, πιστεῦσαί ποτ' ἄν, ὡς εἰς τοῦτον τὸν καιρὸν Περσῶν μὲν οὐδ' ὄνομα λειφθήσεται τὸ παράπαν, οἳ πάσης σχεδὸν τῆς οἰκουμένης ἐδέσποζον, Μακεδόνες δὲ καὶ πάσης κρατήσουσιν, ὧν οὐδ' ὄνομα ἦν γνώριμον, ἀλλ'

[1]) *Ταῦτα μὲν ὁ Δημήτριος,* **Polybius pergit,** *ὡςανεὶ θείῳ τινὶ στόματι περὶ τοῦ μέλλοντος πεφοίβακεν — καὶ Δημητρίου μνησθῆναι· δοκεῖ γάρ μοι θειοτέραν ἢ κατ' ἄνθρωπον τὴν πρόφασιν ποιήσασθαι, σχεδὸν γὰρ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα πρότερον ἐτῶν τἀληθὲς ἀπεφήνατο περὶ τῶν ἔπειτα συμβησομένων.*

[2]) **Haec verba a Diodoro praemittuntur:** *Ὅτι ἀκμαζούσης τῆς τῶν Μακεδόνων βασιλείας Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ τύχης ὑπομνήματι καθάπερ χρησμῳδῶν ὑπὲρ τῶν αὐτῇ συμβησομένων εὐστόχως τούτους τοὺς λόγους ἀποπεφοίβακεν.* Iisdem verbis *συμβησομένων, πεφοίβακεν* pro *ἀποπεφοίβακεν* usus est Polybius, idemque, quod Polybius Demetrii verbis submisit, Diodorus praemisit.

ὅμως ἡ πρὸς τὸν βίον ἡμῶν ἀναλογία τῆς τύχης καὶ πάντως παρὰ τὸν λογισμὸν τὸν ἡμέτερον καινοποιοῦσα, καὶ τῆς αὐτῆς δύναμιν ἐν τοῖς ἐνδόξοις ἐνδεικνυμένη, καὶ νῦν ὁμοίως ἐνδείκνυται, Μακεδόνας εἰς τῶν Περσῶν ἡγεμονίαν ἐνοικίσασα· διότι καὶ τούτοις ἡ τύχη τἀγαθὰ κέχρηκεν, ἕως ἂν ἄλλο τι βουλεύσηται περὶ αὐτῶν. Ὃ συνέβη κατὰ τοὺς νῦν χρόνους συντελεσθῆναι.[1])

15. περὶ μεγαλοψυχίας, **non de animi magnitudine, sed de animo opinionibus inflato, quo leniore sensu Plato saepius utitur vocabulo** μεγαλόψυχος **pro** ἄφρων.

Fragm. XV.
Diog. Laërt. V. 5. 82.

Τῶν τετυφωμένων ἀνδρῶν ἔφη τὸ μὲν ὕψος δεῖν περιαιρεῖν, τὸ δὲ φρόνημα καταλιπεῖν.

16. περὶ γάμου, **de nuptiis.**

17. περὶ ἐπιτηδευμάτων, **de variis hominum studiis.**

18. περὶ καιροῦ,[2]) **de tempore opportuno.**

19. περὶ γήρως,[3]) **de senectute.**

Fragm. XVI.
Diog. Laërt. II. 3. 9.

Τοῦτον (**Anaxagoram**) δὲ καὶ θάψαι ταῖς ἰδίαις χερσὶν αὐτοὺς Δημήτριός φησιν ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ γήρως.

Fragm. XVII.
Diog. Laërt. IX. 2. 4.

Φησὶ δὲ Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ περὶ γήρως ταῖς ἰδίαις χερσὶ θάψαι τοὺς υἱεῖς αὐτὸν (**Xenophanem**) καθάπερ καὶ Ἀναξαγόραν.

20. Δίκαια, **de justis actionibus.**

21. περὶ τοῦ δόκου, **de opinione.**[4])

22. περὶ ὀνείρων **libri quinque, de somniis.**[5])

[1]) *Διόπερ καὶ ἡμεῖς,* Diodorus pergit, ut ex Polybio eum exscripsisse cognoscas, *ἐκρίναμεν τῇ περιστάσει ταύτῃ, τὸν ἁρμόζοντα λόγον ἐπιφθέγξασθαι καὶ τῆς προφάσεως τῆς Δημητρίου μνησθῆναι μείζονος οὔσης ἢ κατ' ἄνθρωπον· προεῖπε γὰρ ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα ἔτη περὶ τῶν ὕστερον συμβησομένων.*

[2]) Theophrastus scripsit librum *περὶ καιρῶν.* cf. Diog. L. V. 42—50.

[3]) Ejusdem tituli librum idem Theophrastus confecisse dicitur. cf. Diog. L. l. l.

[4]) Ita saepius vox *δόκος* pro voce *δόκησις* occurrit apud Sextum Empiricum. Lucas Holstenius *περὶ τόκου* i. e. de foenore legendum esse conjecit; quod si recte conjecisset, hic liber inter opera, quae ad rempublicam pertinent, referendus esset.

[5]) Hujus libri, qui Diogenem Laërtium effugisse videtur, mentionem fecit Artemidor. oneirocrit. II. 44.

II. Opera, quae historiam et antiquitates spectant.

1. ἀρχόντων ἀναγραφή,[1]) opus chronologicum, commentarii, in quibus, temporis ordine secundum archontum annos observato, varias res memoria dignas litteris custodivit.

Fragm. XVIII.
Diog. Laërt. I. 1.

Καὶ πρῶτος σόφος ὠνομάσθη (Thales) *ἄρχοντος Ἀθήνησι Δαμασίου, καθ' ὃν καὶ οἱ ἑπτὰ ἐκλήθησαν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ.*

Fragm. XIX.
Diog. Laërt. II. 3. 8.

Ἤρξατο δὲ φιλοσοφεῖν (Anaxagoras) *Ἀθήνησιν ἐπὶ Καλλίου ἐτῶν εἴκοσι ὤν, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῇ τῶν ἀρχόντων ἀναγραφῇ.*

Fragm. XX.
Diog. Laërt. II. 5. 23.

Ἐτελεύτησε δὲ (Socrates) *τῷ πρώτῳ ἔτει τῆς ἐνενηκοστῆς πέμπτης Ὀλυμπιάδος, γεγονὼς ἐτῶν ὀγδοήκοντα· καὶ ταῦτά φησι καὶ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς.*[2])

Fragm. XXI.
Plutarch. Aristid. c. I. (II. p. 481. R.)

Εἰ δὲ καὶ μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην ἦρξεν, ὡς αὐτὸς ὁ Δημήτριος γέγραφε.

p. 142. *καίτοι Γεμινοῦ τοῦ Τυρίου καὶ Δημητρίου τοῦ Φαληρέως καὶ Ἀρτέμωνος τοῦ Μιλησίου, τοῦ μὲν ἐν τρισὶ βιβλίοις, τοῦ δὲ ἐν πέντε, τοῦ δὲ ἐν εἴκοσι δύο πολλοὺς ὀνείρους ἀναγραψαμένων καὶ μάλιστα συνταγὰς καὶ θεραπείας τὰς ἀπὸ Σεράπιδος δοθείσας.* Serapis Demetrio per somnium remedium praecepisse videtur, quo oculorum morbo sanatus est. Theophrastus quoque scripsit librum *περὶ ἐνυπνίων*. cf. Diog. l. l.

[1]) Hujus libri indicem Diogenes Laërtius in catalogo Demetrii scriptorum non commemoravit, quamquam aliis locis mentionem ejus fecit. — Temporis et annorum notatio accuratior quaedam admodum sero ab historicis graecis adhibita est. Chronologiae graecae, certe Atticae hinc condendae periculum fecisse videtur Demetrius Phalereus in opere, quod inscriptum est *ἀναγραφὴ ἀρχόντων* sive archontum index, cujus fortasse epitomen servatam esse conjicio in Marmore Pario, quod rerum graecarum, in primis Atticarum descriptionem inde a Cecrope usque ad Ol. CXXIX. 1., temporum ordine servato, continet. Doctrinam vero temporum primus reperit Eratosthenes, cujus vestigiis fere institerunt, quos deinceps hanc disciplinam scriptis tradidisse constat.

[2]) Mirum est, quod Demetrius non subjungit, quo archonte Socrates mortuus sit. Diogenem eum omisisse credo, quum ad Demetrium provocaret auctorem, Socratem septuagenarium, non, ut alii, sexagenarium obiisse.

Fragm. XXII.

Plutarch. Aristid. c. 5. (II. 492. R.)

Καίτοι φησὶν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος ἄρξαι τὸν ἄνδρα (Aristidem archontem fuisse) *μικρὸν ἔμπροσθεν τοῦ θανάτου μετὰ τὴν ἐν Πλαταιαῖς μάχην.*[1])

Fragm. XXIII.

Marcellin. in vita Thucyd. §. 32.

Ἀλλὰ δῆλον ὅτι κάθοδος ἐδόθη τοῖς φεύγουσιν, ὡς Φιλόχορος λέγει καὶ Δημήτριος ἐν τοῖς ἄρχουσιν.

2. *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας* **libri V., de legibus Atheniensium.**[2])

Fragm. XXIV.

Lexic. rhetor. post Phot. Pors. p. 667.

Ἔστι δ' ὅτε ἐμβάλλοντες τοὺς συκοφαντουμένους εἰσήγγειλον, ὡς μὲν Φιλόχορος, χιλίων καθιζομένων, ὡς δὲ Δημήτριος ὁ Φαληρεύς, χιλίων πεντακοσίων. Κἀκεῖνος δὲ οὕτως ὡρίσατο· εἰσαγγελία ἐστὶν ὃ περὶ καινῶν ἀδικημάτων δεδώκασιν ἀπενεγκεῖν οἱ νόμοι· ἔστι δὲ τὸ μελετώμενον ἐν ταῖς τῶν σοφιστῶν διατριβαῖς.[3])

Fragm. XXV.

Suidas s. v. *παράστασις.*[4])

Δημήτριος δ' ὁ Φαληρεὺς ἐν τοῖς περὶ νομοθεσίας τοὺς διαιτητάς φησι λαχεῖν τὰς δραχμάς, μίαν μὲν ὑπὸ τῆς λήξεως, ἣν παράστασιν ἐκάλουν, ἑτέραν δὲ καθ' ὑπωμοσίαν ἑκάστην.

[1]) Plutarchus eodem loco dicit: *ἐφ' οὗ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἐνίκων, εὐθὺς Ἀριστείδης ἄρχων ἀναγέγραπται.*

[2]) De legibus et institutis, quae Demetrius in principatu suo tam prudenter fecerit, ut tertius Atheniensium legumlator sit appellatus, qui tum robur reddiderit Solonis legibus tum novas easque præstantissimas tulerit, cf. comment. meae P. I. p. 39—48., ubi leges, quas sanxit Demetrius, et sumtuariae et judiciariae accuratius sunt explicatae. Demetrius igitur in hoc libro, qui inscriptus est *περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας*, non solum leges, jura, instituta Atheniensium, qualia ex Solonis tempore fuerint, sed etiam leges ab ipso latas et renovatas perscripsisse videtur, quare hunc librum inter ea quoque scripta, quae ad rempublicam tractandam pertinent, referri posse concedo. — Theophrastus scripsit *περὶ νομοθετῶν* libros tres, quibus aegre caremus.

[3]) cf. Dissert. meae de Demetrio Phalereo Part. I. p. 44.

[4]) Idem fragmentum exstat apud Harpocrat. et Photium s v. *παράστασις*, ubi pro *λαχεῖν* legitur *λαμβάνειν*. cf dissert. meae Part. I. p. 45.

Fragm. XXVI.[1])

Lexic. rhet. post Phot. Porson. p. 672.

Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῆς Ἀθηναίων νομοθεσίας . . . . . . πλεῖστα ἐχρημάτιζεν ἢ μέγιστα τῶν κοινῶν ἀλλ' ἐνῆν δεδεμένον φησίν· εἰκότως δ' ἄν τις αὐτῷ ἐπιτιμήσειεν· εἰ γὰρ ἄν ποτε κυρίας ἐκκλησίας τοὺς νομίσαι ἐν . . . . . . ἐμίσθουν . . . . . .

Fragm. XXVII.

Suidas s. v. *σκαφηφόροι.*[2])

Δημήτριος γοῦν ἐν γ' Νομοθεσίας φησὶν ὅτι προςέταττεν ὁ νόμος τοῖς μετοίκοις ἐν ταῖς πομπαῖς αὐτοὺς μὲν σκάφας φέρειν, τὰς δὲ θυγατέρας αὐτῶν ὑδρεῖα καὶ σκιάδεια.

Fragm. XXVIII.

Harpocr. s. v. *ἕρκειος Ζεύς.*

Ὅτι δὲ τούτοις μετῆν τῆς πολιτείας, οἷς εἴη Ζεὺς ἕρκειος, δεδήλωκε Δημήτριος ἐν τοῖς περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας.

Fragm. XXIX.

Schol. ad Aristoph. Nub. v. 37.

Δημήτριος δὲ ὁ Φαληρεὺς οὕτω φησί· καὶ δημάρχους οἱ περὶ Σόλωνα καθίσταντο ἐν πολλῇ σπουδῇ, ἵνα οἱ κατὰ δῆμον διδῶσι καὶ λαμβάνωσι τὰ δίκαια παρ' ἀλλήλων.

Fragm. XXX.

Plutarch. Solon. c. 23. (I, 362. R.)

Λύκον δὲ τῷ κομίσαντι πέντε δραχμὰς ἔδωκε, λυκιδέα δὲ μίαν, ὧν φησιν ὁ Φαληρεὺς Δημήτριος τὸ μὲν βοὸς εἶναι, τὸ δὲ προβάτου τιμήν.

3. *περὶ τῶν Ἀθήνησι πολιτῶν* **libri duo, de Atheniensibus civibus.**

4. *περὶ δεκαετίας,* **quo in libro Demetrius rationem reddidit decem anunorum, quibus ipse reipublicae praefuerat,**[3]) **ut Demades orationem, qua rerum per duodecim annos a se gestarum rationem reddidit,** *περὶ τῆς δωδεκαετίας* **inscripsit.**

[1]) Hoc fragmentum lacuna plurium verborum mutilatum est.

[2]) Idem habet Harpocrat. et Photius s. v. *σκαφηφόροι.*

[3]) cf. Comment. meae de Demetrio Part. I. p. 31. Huc referendi sunt duo loci Ciceronis, quem ex Demetrii libro *περὶ δεκαετίας* inscripto haec hausisse verisimile est. de legg. II. 25.—26. „Postea,

Fragm. XXXI.
Diog. Laërt. V. 5. 82.

Ἀλλ' οὐ τὴν ἀρετὴν, ἔφη, (sc. *κατέστρεψαν οἱ Ἀθηναῖοι*) *δι' ἣν ἐκείνας* (εἰκόνας) *ἀνέστησαν.*

Fragm. XXXII.
Lex rhetor. post Phot. Porson. p. 673. s. v. *μὴ οὖσα δίκη.*

Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς ἐν δεκαετίᾳ[1]) *ἐνίους λέγει τῶν κρινομένων κακοτεχνεῖν, τοῖς διώκουσιν ἀντιλαγχάνουσι τὴν μὴ οὖσαν. Δεῖ γὰρ τοὺς ὑπὲρ δέκα δραχμῶν ἀμφισβητοῦντας διαιτητὰς δέκα ἔτη λαμβάνειν· διὸ καὶ ἔκειτο νόμος μὴ εἰςάγεσθαι δίκην, εἰ μὴ πρότερον ἐξετασθείη παρ' αὐτοῖς τὸ πρᾶγμα· ἐνίους δὲ ἀσθενὲς τὸ δίκαιον ἔχοντας καὶ δεδοικότας τὴν κατὰ δίαιταν, χρόνους ἐμβάλλειν καὶ σκέψεις, οἵας δοκεῖν εἶναι εὐλόγους· καὶ τὸ μὲν πρῶτον παραγράφεσθαι· τὸ ὑπόμνυσθαι νόσον ἢ ἀποδημίαν· καὶ τελευτῶντας ἐπὶ τὴν κυρίαν αὐτῆς διαίτης ἡμέραν οὐκ ἀπαντῶντας, ὅπη δύνανται ἀντιλαγχάνειν τὴν μὴ οὖσαν τῷ ἑλόντι, ὥστε ἐξ ὑπαρχῆς ἀκέραιον αὐτοῖς καθίστασθαι τὸν ἀγῶνα· κατ' ἐνίους δὲ ἡ ἀντίληξις οὕτως ἀντιλαχεῖν ἐξῆν· καὶ μετέγραψαν ἢ ὅλως ἐκ τῶν λόγων αὐτὴν ἀνεῖλον· τούτου δὲ αἴτιον ἡ τοῦ ἔθους ἔκλειψις· ἀνῄρηται γὰρ μετὰ τῶν διαιτητῶν ἡ ἀντίληξις· ἐξῆν δὲ ἀντιλαγχάνειν ἐντὸς ἡμερῶν δέκα.*

5. *περὶ τῶν Ἰώνων,* **de Ionibus liber.**

6. *Πρεσβευτικός,* **de legationibus liber. In hoc libro Demetrius egisse videtur de gravibus legationibus, quarum uni, Phocione et Demade ducibus ad Antipatrum missae, Demetrium ipsum legatum interfuisse verisimile est.**[2]) **Simulque legationum praecepta dedisse et orationes a legatis habitas in eo perscripsisse videtur.**[3])

cum, ut scribit Phalereus, sumtuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt." — „Sed ait rursus idem Demetrius, increbruisse eam funerum sepulcrorumque magnificentiam, quae nunc fere Romae est. Quam consuetudinem lege minuit ipse" etc. cf. comment. meae de Demetrio Part. I. p. 39. — de offic. II. 17. „Et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Graeciae, vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylaea conjecerit." cf. comment. meae Part. I. p. 38.

[1]) Ita legendum esse censet Th. Bergk (Zeitschr. für die Alterthumswissensch. 1849. III. p. 267.).

[2]) cf. Comment. meae de Demetrio Part. I. p. 25.

[3]) Diog. Laërt. V. 5. 80. *δημηγοριῶν τε καὶ πρεσβειῶν.*

Fragm. XXXIII.

Libri *περὶ ἑρμηνείας* **auct. 289. et Gregor. Corinth.** *περὶ μεθόδου δεινότητος* **§. 71. (Walz VII. 1180.)**

Πολλάκις δὲ ἢ πρὸς τύραννον ἢ ἄλλως βίαιόν τινα διαλεγόμενοι καὶ ὀνειδίσαι ὁρμῶντες χρῄζομεν ἐξ ἀνάγκης τοῦ σχήματος ὅλου, ὡς Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς πρὸς Κρατερὸν τὸν Μακεδόνα ἐπὶ χρυσῆς κλίνης καθεζόμενον μετέωρον καὶ ἐν τρυφερᾷ χλαμύδι καὶ ὑπερηφάνως ἀποδεχόμενον τὰς πρεσβείας τῶν Ἑλλήνων σχηματίσας εἶπεν, ὅτι ὑπεδεξάμεθά ποτε πρεσβεύοντας ἡμεῖς τούσδε[1]) *καὶ Κρατερὸν τοῦτον.*

7. *Χαλκιδικός* **liber.**

8. *Προοίμιον ἱστορικόν.*

9. *ἐκκλησία ἔνορκος,* **de concione jurata i. e. de heliaea.**

10. *περὶ Ἰουδαίων.*[2])

Fragm. XXXIV.

Euseb. praep. evang. IX. 21.[3])

Δημήτριός φησι τὸν Ἰακὼβ γενόμενον ἐτῶν ἑβδομήκοντα πέντε φυγεῖν εἰς Χαρρὰν τῆς Μεσοποταμίας

[1]) Greg. Corinth. l. l. legit *ἡμεῖς πρεσβεύοντα τόνδε.*

